MASTER NEGATIVE
NO. 93-81405-1

AUTHOR:

SCHNEIDER, GEORG

TITLE:

DE M. VALERII MARTIALIS SERMONE...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1909

Master Negative #

93-81405-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schneider, Georg, 1884-
De M. Valerii Martialis sermone observationes dissertatio...quam...defendet Georg Schneider... Vratislaviae, Typis Nischkowskyanis, 1909.
62 p. 22 cm.

Thesis. Breslau.
Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 5/12/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

n0. 1

De M. Valerii Martialis sermone
observationes

Dissertatio inauguralis
quam consensu et auctoritate
amplissimi philosophorum ordinis
ad summos in philosophia honores
in
Vniversitate litterarum Vratislaviensi
rite capessendos scripsit et
die XII mensis Martii anni MCMIX hora XI
in Aula Musica
publice defendet

Georg Schneider
Silesius

Idem disseret **„De M. Valerio Martiale poetarum Augusteae aetatis sermonis imitatore"**

Vratislaviae
Typis Nischkowskyanis
MCMIX

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit **F. Skutsch**

Examen rigorosum habitum est die XXI. mensis Novembris anni MCMVIII.

PARENTIBVS CARISSIMIS
FRANCISCO SKVTSCH PRAECEPTORI
S

Accurate post Koenium, totius huius operae auctorem gravissimum[1]), Ernestus Bednara inquisivit[2]) quantum in formando dactylicorum sermone metri vis quam veteres scriptores ipsi sane intellexerunt[3]), valeret.

Tamen cum non defuisse sciamus, qui nimium metro ab illis tribui iactarent, ego in his rebus tractandis novam quandam viam ingressus sum, qua illorum fastidientium opiniones optime refutari posse credo. Nam cum hucusque qui talia tractabant, metro dactylico se continuerint, ego poetam quendam elegi qui variis metris usus est, ut observatis sermonis discrepantiis quae inter cuiusque generis metra intercedunt, quanta in his rebus versuum vis esset, demonstrarem. Is autem poeta est M. Valerius Martialis Hispanus[4]).

---

[1]) Über die Sprache der römischen Epiker. Münster 1840.

[2]) De sermone dactylicorum Latinorum quaestiones, Lips. 1905 (= Archiv für lat. Lexic. u. Gramm., vol. XIV. p. 317 sqq. et p. 532 sqq.).

[3]) L. Mueller, De re metrica[2], p. 11 sqq. H. Ploen, De copiae verborum differentiis inter varia poesis Romanae antiquioris genera intercedentibus, Argent. 1882 (= Diss. phil. Argent., vol. VII, a. 1882, p. 11). Schulze, Quaestiones epicae, Gütersloh 1892, p. 15. E. Norden, Comm. Vergil. 1903, p. 113.

[4]) De metris a Martiale usurpatis in universum egit Friedlaender editor optime de Martiale poeta meritus in particula II. praefationis editionis, Lips. 1886, p. 26.

Singillatim disseruerunt

a) de disticho elegiaco

Birtius in edit. Friedlaend. p. 30,

b) de hendecasyllabo Phalaecio

O. Guttmann, Observ. in M. Valerium Martialem particulae V, Vratisl. 1866, p. 51. L. Mueller, De re metr. p. 178. Idem in edit. carm. Cat. Tib. Prop., Lips. 1870, p. 50 praefat. Leutsch, Zu Catull. Philol. X, 1855, p. 740. W. Christ, Die

In comparatione igitur epigrammatum Martialis tenendum est, ut sunt, quae metro dactylico refragantia mutari debeant, cum in hexametrum aut pentametrum inseruntur, ita ne iambis quidem, trochaeis, hendecasyllabis omnia vocabula omnesque formas aptari posse.

Quare saepius fieri non poterit, quin statuamus, ubi duabus vocibus aut formis idem significantibus Martialis utitur, quae vox et quae forma priores sint. Hac in re cum laude praeivit Aemilius Stephani, qui in dissertatione, quam supra commemoravimus, non modo accuratissime, ut ita dicam, dies natales multorum nominum ac vocabulorum et Graecorum et Romanorum constituerit, sive ea omnino novata videntur esse a Martiale sive ab hoc poeta primo versibus inserta, sed etiam diinquisiverit quatenus novae formationes legibus metrorum diversorum explicentur.

Opponimus igitur dactylis iambos et trochaeos; praemonendum tamen est quorundam metrorum formam ita Martialis temporibus esse comparatam, ut partim quidem dactylorum partim iamborum trochaeorumque naturae participes sint: dico

---

Verskunst des Horaz im Lichte der alten Überlieferung. Sitzungsberichte d. k. bayr. Akad. d. Wissensch. 1868, I. 1. Wilamowitz, De versu Phalaeceo (Mélanges Henri Weil, Paris 1898) p. 149,

c) de choliambo

O. Guttmann, Observ. in M. Val. Mart. p. 46. Ficus, Über den Bau des griech. Choliamb, insbes. über den des Babrian. Mythiamb. (= Rossbach-Westphal, Griech. Metrik[3] p. 808). Lachmann, Babrii fabulae Aesopeae, Berol. 1845, p. 12. Crusius, Babrii fabul. Aesop., Lips. 1897, p. 34.

De quantitate litterae o finalis cf. Aem. Stephani, De Martiale verborum novatore, Vratisl. 1889 (= Diss. phil. Vratis., vol. IV. 2, p. 38 sqq.).

Vt libros et metra Martialis significarem usus sum hisce notis:

l. sp. — liber spectaculorum.
hex. — hexameter dactylicus.
pent. — pentameter.
hend. — versus Phalaecius.
chol. — choliambus.
sen. — senarius iambicus.
dim. — dimeter iambicus.
dactyl. — dactylus aut dactylicus.
eleg. — elegiacus.
vers. lyr. — versus lyrici.

versus hendecasyllabos, quos apud Martialem non ut apud Catullum, quem ille in aliis rebus maxime imitatus est[1]), initium liberum certisque regulis solutum, sed semper formam habere hanc:

´– – ´– ◡ ◡ ´– ◡ ´– ◡ ´– ◡̄

nemo nescit.

Sed age iam disputationem ipsam ingrediamur et in materia evolvenda ordiamur a parte, quae spectat

A. ad syntaxim[2]) Martialis.

Totam copiam quaestionum huc attinentium ita disponemus, ut primum dicamus de substantivo, deinde de adiectivo, tum de verbo, denique de horum vocabulorum inter se commutatione.

I. De substantivo.

a) De numerorum usu.

§ 1. Martialem, cum eisdem metrorum legibus paruerit quibus, quos impensa opera imitatus est, poetae Augusteae aetatis, cum iisdem fere difficultatibus metricis luctabatur. Quis igitur eum reprehendat, quod commutationem numerorum arripuit ubi formae quas sensus postulabat, metro non satisfaciebant, praesertim cum non solum apud poetas, qui antecesserant, sed etiam apud prosae orationis scriptores numeri commutarentur vel apud Ciceronem et Caesarem, solutae orationis principes[3]), quos *„metri necessitas non excusabat“*, ut verbis utar illius, qui sermonem Ciceronianum summopere laudavit et imitandum commendavit, Quintiliani (Inst. orat. I 6, 2)[4]).

---

[1]) Paukstadt, De Martiale Catulli imitatore, Halis 1876. Guttmann, Observ. in M. Val. Mart. p. 51. Friedlaender in praef. ed. p. 24.

[2]) H. Paul, Prinzipien der Sprachgeschichte[3], Halle 1898, p. 45: ... *der Unterschied von poet. u. pros. Spr., der sich auch auf Formales und Syntaktisches erstreckt.*

[3]) A. Draeger, Histor. Syntax der lateinischen Sprache, Leipzig 1874, I, p. 3.

[4]) Woelfflin, Hexameter u. silberne Prosa. Archiv f. lat. Lex. XI (1900) p. 503.

Sed postquam nuper Bednara in dissertatione quam copiosissime de numero poetico egit[1]), ego numerorum usum non nisi strictim tangam.

§ 2. Persaepe Martialis posuit formam

pluralem loco singularis

non quo sublimitatem quandam dictionis affectaret, sed quia versus eum impulit, ut numerum metro magis convenientem adscisceret[2]).

Apparet sermonem dactyl. plane fugere et tribrachyn et creticum. Cum igitur formae hĕdĕră, frīgŏrī, mūnĕrī non nisi per elisionem dactylis adaptari possent, mihi dubium non est, quin Martialis iussu metri plurales receperit: *hĕdĕrāe* I 76, 7: *Quid possunt hĕdĕrāe Bacchi dare*[3]), *frīgŏrĭbūs* IV 57, 10: *Nunc Tiburtinis cedite frīgŏrĭbūs*, *mūnĕrĭbūs* IV, 10, 6: *mūnĕrĭbūs convenit illa meis*[4]). Interdum non substantivum ipsum formam pluralem flagitat, sed adiectivum aut verbum, quocum coniunctum est. Recte quidem iudicat Neue pluralem *ăquāe* a poetis Latinis formatum esse per analogiam Graeci ὕδατα[5]). Sed quis est qui neget numerum pluralem eo libentius accessivisse poetam, cum adjectivum *pērspĭcŭă* non nisi ultima littera ă elisa ad dactylos accommodari posset: IV 22, 8. Similiter plur. *ăēthĕrĭōs ortus* III 6, 3 per analogiam plur.

---

1) Arch. f. lat. Lex. u. Gramm. XIV p. 532 sqq.

2) Libros de his rebus conscriptos accurate collegit Bednara in p. 532 opusculi. Quorum gravissimos laudare satis habemus: Keller, Grammat. Aufsätze (Zur latein. Sprachgeschichte II) p. 193 sqq. Maas, Studien zum poet. Plural. bei d. Römern. Arch. f. Lex. vol. XII (1902) p. 479 sqq. Norden, Comm. Vergil. p. 399. Landgraf, Bemerkungen zum sog. poet. Plur. in der lat. Prosa. Arch. f. Lex. vol. XIV (1906) p. 63. K. Witte, Sing. u. Plur. Forschungen über Form u. Geschichte d. griech. Poesie, Leipz. 1907. Novissime nos cautos esse debere in statuendo plurali poetico monuit G. Friedrich, Catulli Veronensis liber, Leipzig u. Berlin 1906, p. 311.

3) Plur. hĕdĕrāe apud Vergilium primum occurrit. Cf. Bednara, Arch. XIV p. 537.

4) Cf. vers. 3: *I, puer, et caro perfer leve munus amico.* Bednara, Arch. XIV p. 557 et 559.

5) Neue-Wagener, Formenlehre d. lat. Spr. I³ p. 605.

Graeci ἀντολαί vel ἀνατολαί fictus[1]) poetae dactyl. multo aptior erat quam accus. āēthĕrĭŭm͡ ortum.

Etiam pluralis *irae* in sermone poetarum exstat. Sed cum Mart. in l. sp. 9, 3 pluralem propter adj. *tērrĭbĭlēs* (pro tērrĭbĭlĕm) adhibuerit, aliis locis propter verbi formam ad singularem revertit: l. sp. 22, 2 *cōllĭgĭt ira* pro cōllĭgūnt irae, IV 11, 6 *ōbrŭĭt ira,* VI 64, 30 *coēgĕrăt ira,* XI 39, 10 *ābstĭnĕt ira.*

Cum his conectamus quaestiones nonnullas de plurali adhibito in neutris secundae declinationis quorum syllabam ultimam trochaeus antecedit. Poetas haec neutra metricis rationibus permotos libenter versibus inseruisse maximeque in quinto pede hexametri (aut in altero pentametri hemistichio) collocavisse in vulgus notum est. Huius generis neutra in Martialis epigrammatis leguntur haec: *ātrĭă, bālsămă*[2]), *brācchĭă, cenācŭlă, cīnnămă*[2]), *fastīdĭă*[3]), *gaūdĭă*[4]), *ōtĭă*[5]), *praēmĭă, prāndĭă, saēcŭlă, silēntĭă*[6]), *solācĭă, sūcĭnă, taedĭă*[7]), *venābŭlă, Caēcŭbă*[8]), *Māssĭcă*[9]), *Pālātĭă*[10]). Singulares formas contra — atque in hac re apertissimum esse puto, quantum poeta metro concesserit — cum magis idoneae visae essent rhythmis lyricis, Martialis libenter admisit in hend. velut *gaūdĭūm* I 109, 7, *ōtĭūm* III 67, 9, *prāndĭūm* XI 18, 27, *Caēcŭbūm* X 98, 1 et in chol. velut *praēmĭūm* X 74, 7 et idem illud *gaūdĭūm* III 64, 2 et V 37, 17.

---

1) Maas, Studien zum poet. Plur. Arch. XII p. 494. Norden, Comm. Vergil. p. 200. Witte, Sing. u. Plur. p. 37.

2) Neue I³ p. 612.

3) Neue I³ p. 636. Norden, Comm. Vergil. p. 400.

4) Neue I³ p. 635.

5) Koene p. 9 et 58. Keller, Gramm. Aufs. p. 199, 211, 367. Norden, Comm. p. 320.

6) Norden, Comm. p. 400.

7) Neue I³ p. 636.

8) Horatius formam *Caecubūm* quater in vers. lyr. posuit: c. I 20, 9, I 37, 5, III 28, 3, epod. 9, 1, accus. *Caecŭbă* in vers. lyr. semel c. II 14, 25, in dactyl. sat. II 8, 15.

9) cf. Horat. c. III 21, 5 et sat. II 4, 51.

10) Neue I³ p. 599.

§ 3. At multo rarius quam pluralem pro singulari Martialis exhibuit singularem pro plurali[1]).

Sane concedendum est hunc usum, qui serius in linguam Latinam invasit, non ex omni parte proprium esse poetarum, cum optimi quoque solutae orationis scriptores non raro singularem collectivo sensu pro plurali admiserint[2]). Sed ob id ipsum non est quod miremur talem usum ut in carminibus aliorum, ita etiam in Martialis epigrammatis occurrere ad sanandas metri difficultates. Ac dubitari nequit, quin poetarum praecipue sermone effectum sit, ut hic usus postea latius pateret inde a Vergilii et Ovidii aetate et apud poetas ipsos et apud prosae orationis scriptores qui poetarum sermonem imitabantur. Invenimus singularem et in nominibus propriis et in appellativis.

Epigrammate III. libri spectaculorum, quo Martialis de peregrinorum concursu ad ludos magnos facto loquitur, enumerat *Sabāeōs festinantes, Cĭlĭcēs nimbis suis madentes, Sicambrōs, Āethĭŏpēs,* sed ut Martialis ipsius verbis pergamus (vers. 3 et 4)

Venit ab Orpheo cultor Rhŏdŏpēĭŭs Haemo,
Venit et epoto Sārmătă pastus equo.

Sine dubio singulares *Rhodopēĭŭs* et *Sārmătă* pro pluralibus dactyl. molestis Rhodopēĭī et Sārmatāē posuit. Interdum ea quoque re Martialis coactus est singularem numerum nominis usurpare, cum versus attributa plurali forma posita non admitteret. Arcessivit igitur singularem *rūstĭcă . . . Dryas* pro formis rūstĭcāē Dryades IX 61, 14 (12). Recte autem dixit Draeger l. c. usum nominum populorum permultum valuisse ad singularem generalem appellativorum adhibendum praesertim cum Graecorum exempla ad imitandum incitaverint. De appellativis[3]) gravissima argumenta, quibus quanti momenti fuerit metri auctoritas probatur, haec esse videntur: Martialis scribens III 60, 7 in dactyl. *āūrĕūs īmmŏdĭcūs tūrtŭr*

[1]) H. Schmalz, Synt. u. Stilistik (Iw. v. Mueller, Hdb. d. klass. Altert.), München 1900, p. 432. Kühner, Ausführl. Gramm. d. lat. Spr. II, 1878, p. 46. Bednara, Arch. f. Lex. XIV, p. 563. G. Friedrich, Comm. Catull. p. 81.

[2]) Draeger, Syntax I, 1874, p. 3. Maas, Studien zum poet. Plur. Arch. f. Lex. XII p. 500.

[3]) cf. Friedlaend. adn. ad epigr. IV 64, 16/17.

creticos aūrĕī et tūrtŭrēs evitare voluit, quorum alter non nisi per ultimae elisionem, alter nullo modo versui immitti poterat. Quamquam formae plurales „voces diversae sonant" non prorsus excluduntur metro, tamen poeta, ut syllabas breves adipisceretur, singularem adhibuit: *vōx dīvērsă sŏnāt* l. sp. 3, 11 contra sensum. Magis etiam metri vim cognoscimus ex illis locis, quibus numeri miscentur velut in epigr. IX, 61 vers. 11 et 12. Quamvis enim et aequabilitate et sensu pluralis fīstŭlāē postularetur, Martialem metro adductum recepisse putaverim singularem *fīstŭlă,* qui optime dactylis convenit. Idem fit in epigr. VIII 78 vers. 9 et 10, ubi in voce Graeca nomisma pluralis numerus *nomīsmătă,* in vocabulo Latino *tēssĕră*[1]) singularis metri causa in versum redactus est[2]). In epigr. VI 46 vers. 1 non substantivum ipsum sed verbum impediebat, quominus pluralis adhiberetur. Varro[3]) enim et Caesar[4]) testantur substantiva bigae, trigae, quadrigae pluralia[5]) tantum esse, neque quicquam Martialem prohibuisset dactylis immiscere formam *quădrīgae,* nisi accessisset verbi forma *vāpŭlānt,* quae a dactyl. plane abhorret.

Difficultates, quas opponebant formae quaedam pluralis, persaepe magnas exstitisse in dactylis pangendis inde quoque intellegitur, quod poetae sensum pluralem efficere studebant adiectivis idoneis singulari numero additis, e quibus Martialis imprimis usurpavit *multus*[6]), *numerosus*[6]), *plurimus.*

Adiectivi *mūltus* ope circumiit III 95, 7 ablativum ōrĭbūs et V 22, 8 ablativum fūnĭbūs.

Adiectivo *nŭmĕrōsus* III 31, 3 nominativum a dactylis omnino absonum dēbĭtōres evitavit. Singularem superlativi *plūrĭmus* Martialis auxilio arcessivit contra angustias formarum imāgĭnēs I 70, 6 *(plūrĭmă . . . imāgo)* et hōspĭtēs VIII 3, 7 *(plūrĭmŭs hōspes).* Contra legimus pluralem *imāgĭnēs* in hend. vers. V 20, 7[7]).

[1]) Aliter Lucilius, qui diminutivum *tēssĕrulāē* usurpavit 84 M.

[2]) Infra copiosius de his vocibus disseremus.

[3]) L. L. IX 39, 63 et 64; X 2, 24. [4]) Gellius, N. A. XIX 8, 4.

[5]) Neue I³ p. 690.

[6]) cf. Friedlaender, ad epigr. IV 64, 16/17. Streifinger, De syntaxi Tibulliana. Dissert. Wirceburg. 1881, p. 10. Brenous, Étude sur les hellénismes dans la syntaxe Latine, Paris 1895, p. 404 sqq.

[7]) Fritsch, Zu Horatius' Oden. Neue Jahrb. für Philol. 141, 1890, p. 214.

b) De genere substantivi.

§ 4. Quantum valuerit metrum in sermone confingendo hac quoque re demonstratur, quod dactylici ad eam optime progressi sunt audaciam, ut substantivorum genera grammaticis quasi legibus sancta mutare non vererentur. Cuius modi exempla in Martialis epigrammatis exstant haec:

dies[1]): Neque de genere vocis dies, neque qua ratione mutatio intelligenda sit, viri docti consentiunt. Interpretationem, quam Delbrueck in syntaxi comparativa (I p. 222) protulit, vocabulum dies femininum factum esse per analogiam vocis nox quotiens significaret certum temporis spatium novis argumentis nuper redarguit Kretschmer in ephemeride, quae inscribitur „Glotta"[2]), dicens vocem *dies* genus femininum esse adeptam per analogiam vocabuli *tempestas*. Cuius sententia eo fulcitur, quod tempestas vocabulum ipsum olim idem quod dies significabat[3]). Sed hoc nihil ad poetas, qui versuum necessitati parere coacti voce dies modo masculina modo feminina utebantur prout metri ratio flagitabat[4]).

Genus masculinum, quod optimi prosae orationis scriptores semper fere adhibuerunt, a Martiale servatum est in chol. IV 61, 3 quartūs dĭēs et in dactyl. ubi attributum praecedens vocali finiebatur, *īllĕ dĭēs* III 6, 6, X 6, 3, *alūmnĕ dĭēs* XII 60, 1. Contra anteeunte in dactyl. nominativo adiectivi secundae declinationis, poeta cum masculinum admittere non posset, genere feminino usus rem ex procliva planam reddebat[5]): *ālmă dĭēs* IV 1, 1; *nūllă dĭēs* X 12, 4; *lōngă dĭēs* IX 49, 9, XI 69, 7[6]). Igitur cum cognoverimus in dactyl. poetis syllabas breves generis feminini magno emolumento fuisse, id quoque apertum esse crediderim, cur Martialis in epigr. VII 21, 1 non scripserit: Hic est īllĕ dĭēs (cf. locos supra commemoratos III 6, 6; X 6, 3), sed: *Haec est illa dies*. Impedivit enim

---

[1]) Landgraf, Bemerkungen zum sog. poet. Plur. Arch. f. Lex. XIV p. 63—64. Bednara, Arch. XIV p. 573.

[2]) Vol. I p. 331 (Göttingen 1908).

[3]) cf. Lorenz ad Plaut. Mostell. v. 5.

[4]) Koene p. 85 sqq. Neue I³ p. 10 sqq. Kühner I p. 254.

[5]) Norden, Comm. Vergil. p. 304.

[6]) „*Lōngă dĭēs*" persaepe apud scriptores Romanos. Cf. Landgraf, Arch. XIV p. 63 sqq.

poetam, quominus genere masculino uteretur, sententia relativa sequens, in qua sola feminini ope versus stabat: *quae magni cōnscĭă partus* (pro cōnscĭūs). Quod iam Koenius l. c. recte observavit, poetas dactylicos vocis dies singularem numerum libenter adhibuisse, idem Martialis exemplis IX 49, 9 et XI 69, 7 probari videtur. Vtroque loco (IX 49, 9 *Quid non lōngă dĭēs,* contra *quid non consumitis anni,* XI 69, 7 *Non me lōngă dĭēs, nec inutilis abstulit aetas*) singularis collectivo sensu pro plurali positus est.

Nomen *Anxur*[1]) (Ἄγξωρ: Diodor. 14, 10) apud Horatium[2]) et Livium[3]) neutrius est generis. Martialis sive in animo habuit montem in quo urbs sita erat quod censet Friedlaender[4]) sive virum illum fortissimum Anxurem, quem laudibus effert Vergilius (Aen. X 545), sive cogitavit de fonte Tarracinensi[5]), certe concedendum esse arbitramur Koenio Martialem genus masculinum sibi permisisisse in dactyl. V 1, 6 *cāndĭdŭs Anxur* et X 51, 8 *splēndĭdŭs Anxur* pro formis neutris praecipue commodis metricis adductum. Eidem etiam in hend. VI 42, 6 nominativus masculini generis *(supērbŭs Ānxur)* trochaeis componendis aptior erat.

II. De adiectivorum usu.

§ 5. Statim convertamus nos ad figuram quae vocatur enallage sive hypallage[6]).

Per se elucet Romanos figuram, quam vocabulo Graeco dicere consueverant, e Graecorum lingua in ipsorum linguam transtulisse[7]). Illud quoque manifestum est poetas tali genere dicendi magis delectari solitos esse quam scriptores, qui soluta

---

[1]) cf. Thes. ling. Lat. sub voce „Anxur". Koene p. 220. Neue I³ p. 950. Conington ad Verg. Aen. VII 799. Nissen, Ital. Landeskunde, Berlin 1902, II, 2 p. 640.

[2]) Sat. I 25, 26: *Impositum . . . Anxur.*

[3]) IV 59 *Anxur oppugnandum, Anxur captum.*

[4]) Ad epigr. V 1, 6.

[5]) Thes. ling. Lat. l. c.

[6]) O. Hey, Zur Enallage adjectivi. Arch. XIV p. 105 sqq. (Ibidem gravissimi de hac dicendi figura auctores nominantur.) Bednara, Arch. XIV p. 577. Reisig-Haase-Schmalz-Landgraf, Lat. Syntax, Berlin 1888, p. 548. Friedrich, Comm. Cat. p. 312.

[7]) Schulze, Quaest. epicae p. 503—504.

oratione utebantur[1]). Atque si in Livii opere hanc figuram dicendi multo crebriorem esse videmus quam apud Ciceronem, qui in universum huic linguae usui minus favebat[2]), non immerito nobis concludere videamur imitatione poetarum hoc effectum esse, qui inde a Lucretio enallagen adamabant non solum elatioris poesis gratia, sed etiam metri causa, ut formas dactylis minus commodas evitarent[3]).

Metri vis et necessitas comprobantur his exemplis e Martialis libris sumptis:

In epigr. IX 2, 9 scripsit poeta *„splendet Erythraeis pĕrlūcĭdă moecha lapillis"* pro forma molesta pĕrlūcĭdĭs. Imitatione Horatii III 30, 2 Regalique situ pyramidum ortum est illud: *Rēgĭă pyramidum ... miracula* VIII 36, 1 in dactyl.[4]), ubi adiectivum *rēgĭus,* quod Martialis adiectivo regalis anteposuit, quamquam sensu coniungendum est cum genetivo *pyramidum,* a neutro *miracula* attractum est. In epigr. XIV 164, 1 Mart. adiectivum *splendĭdus* contra sensum non genetivo *discī,* sed neutrali *pŏndĕră* tribuit: *„Splĕndĭdă cum volitant Spartani pondera disci".* In deliciis Martiali videtur esse enallage adjectivi *hŏrrĭdus.* Bis, VII 36, 5 et IX 12, 2 hoc adjectivum poeta a genetivis, quibus adiungendum erat, separavit et regentibus, ut ita dicam, substantivis subnexuit, scribens priori loco: *Hŏrrĭdŭs ecce sonat Boreae stridore December,* altero: *Hŏrrĭdă si brumae sīdĕră.* Talem igitur in modum Martialis hac dicendi figura poetica difficultates formarum: rēgĭārum, splēndĭdi, hŏrrĭdāē e medio sustulit.

§ 6. Cum eis, quae de adiectivis exponenda duximus conectamus nonnullas quaestiones

de comparatione adiectivorum II. declinationis, quorum terminationes antecedit syllaba producta aut iambus.

Casus obliquos et comparativorum et superlativorum, qui ab adjectivis *bĕātus, cĕrtus, fŏedus, sĕvērus,* aliis huius modi

[1]) Hey, Arch. XIV p. 110.
[2]) Hey, ibidem p. 109. Kuehnast, Hauptpunkte der Livianischen Syntax, Berlin 1872, p. 290.
[3]) Norden, Comm. Verg. p. 112.
[4]) cf. quae Kiessling ad locum illum adnotavit.

descendunt, metro dactyl. omnino fere reici, contra naturae vers. lyr. favere luce clarius est. Quanto feliciores erant hoc in verborum genere Graeci, quorum comparativi et superlativi suffixorum -οτερο- et -οτατο- ope formati per se dactylos fingerent, quos Theognis ut exemplo utar saepissime immo semper fere in fine dist. eleg. collocavit. Iterata, quae inveniuntur in anthologia Theognidea, neglegentes ni in exemplis computandis et colligendis fallimur, exstant

	in fine pent.	ceteris locis
comparat.	11	2
superlat.	6	3
comp. et superl.	17	5

Neque tamen Martialem hoc detrimentum, quod ei ratio versuum intulit, aegre tulisse credo, cum non minorem fructum quam quem poeta Graecus ex compar. et superl. formis in dactyl. ceperat, ipse e forma iambica sive trochaica comparativorum illorum Latinorum in metro Phalaecio perciperet. Posuit enim poeta Romanus casus obliquos velut *bĕātĭōres, nĕquĭōrem, nīgrĭōrem* libenter in fine versus hendecasyllabi atque hos eiusque generis alios legimus

in fine hendec.	cet. locis
18ies	8ies

[1])

Commodis formarum ita fictarum adductus Martialis, id quod etiam maiore admiratione amplectimur, eo licentiae progressus est ut non vereretur interdum in clausulis hend. comparativos arcessere quamquam sensui positivus satisfecisset. Probatur hoc exemplis IV 86, 7 *Nec rhombos metues mălignĭōrum* et XII 34, 7 *Vincet candida turba nīgrĭōrem.*

Neque aliter in comparativo adiectivi *pŏtēns* (VII 39, 2; VII 76, 1; XII 18, 4) iudicandum esse contenderim. Nam in comparativo *potēntĭōres,* quem ante Martialem Horatius et

[1]) Comp. *frūctŭōsĭōră* IV 46, 18 et *sūmptŭōsĭōră* I 99, 11 hic silentio praetereunda sunt, cum in hend. nullo alio loco nisi in fine collocari possint.

Columella exhibuerant[1]), me non immerito quovis pignore spondeo metri vim non plane esse negandam inde apparet, quod Martialis ipse uno illo loco V 20, 5 in eadem re forma positiva contentus fuit. Martialem in hoc quoque admodum insolenti usu comparativi, ut solet, vetustiorem quendam poetam esse secutum conicere in promptu est. Revera Martialis hac in re sibi indulsit libertatem, qua in nugarum libello Catullus iam saepius usus erat[2]), atque de hac usus Catulliani imitatione infra dicemus, nunc autem, ut redeat oratio unde aberravit, quonam modo Martialis sensum compar. et superlat. in adiectivis generis supra commemorati denotaverit expediamus.

§ 7. De comparativo. Vt comparativum significaret, Martialis usus est periphrasi adverbii *măgis* ope effecta[3]), quod ad comparativum exprimendum apud plurimos dactylicos metro exigente invenimus[4]), contra optimi scriptores solutae orationis rarissime ac non nisi gravissimis causis permoti[5]) admiserunt.

Martialis adverbium *magis* hic locis adhibuit: V 19, 3 *măgīs dignōs* pro dignĭōres (contra v. 5 *pulchrĭŏr et māiŏr*), XII 74, 3 *măgĭs aūdāces* pro aūdācĭōres, porro *măgīs mīrum* I 48, 3, II 72, 5, *flāvă măgīs* V 68, 2, *fīdă măgīs* VII 2, 2, *dignus* . . . *magis* X 20, 6, *măgĭs āpta* XI 60, 1.

---

[1]) Hor. epod. 2, 7/8 *superba civium* . . .
potentĭōrum limina,
cf. quae Kiessling ad locum hunc adnotavit. At Persius in eadem re, cum dactylos pangat comparativo *māiōres* uti cogitur sat. I 108: . . . *maiorum tibi forte limina frigescant.*

[2]) Woelfflin, Hexam. u. silb. Prosa. Arch. XI p. 504. Friedrich, Comm. Cat. p. 90.

[3]) Adverbium *plus*, quamquam iam apud Ennium obvium, in aurea latinitate et argentea omnino neglegitur atque in aenea demum latinitate viguisse videtur, quod e lingua franco-gallica concludi potest. Cf. Woelfflin, Lat. u. roman. Compar., Erlangen 1879, p. 29 et 33. *(„Dazu kommt schließlich für die Dichter der Zwang des Metrums.")* Neue II[3] p. 263. Schmalz, Synt. u. Stil. p. 438. Skutsch, Die lat. Sprache (Kultur der Gegenw.[2]), Berl., Leipz. 1907, p. 467.

[4]) Lygd. I 25 *Teque suis iurat caram magis esse medullis.*
Ovid a. a. I 475 *Quid magis est durum saxo, quid mollius unda.*

[5]) Woelfflin, Lat. u. rom. Comp. p. 31.

Contra in vers. lyr. V 6, 8 *sānctĭōris,* VI 30, 6 *vērĭōra,* X 47, 1 *bĕātĭōrem,* alii comparativi.

§ 8. De superlativo. Superlativi sensum effecit adverbiis *nimis* et *nimium* cum positivo coniunctis, quorum prius Plautus libenter usurpavit[1]). Exortae sunt talem in modum circumlocutiones *nōtās* . . . *nimis* I 87, 7 pro incommodo superlativo notissĭmās, *nĭmĭŭm* . . . *frequens* III 52, 2 pro frequēntissĭmūs, *nōtāe* . . . *nĭmĭŭm* VI 72, 1 pro nōtissĭmāe, *nĭmĭs dūrā* pro durissĭmā IX, 89, 1.

Superlativos horum adiectivorum in vers. lyr. non repperi, nec mirum, cum superlativi formae (⏑) — — ⏑ — ne in versus Phalaecios quidem, sed in illa metra solum quadrarent, quibus Martialis longe rarissime usus est, in metrum Sotadeum (— — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏓) et in principium et senarii (⏓ — ⏑ —) et chol. (⏓ — ⏑ —)[2]).

§ 9. Ac, ne res inter se simillimas divellamus, de altero quoque remedio superlativorum a dactylis abhorrentium hoc loco commonere liceat. Augent enim Martialis et Statius[3]) aequales, morem antiquum, qui iam in comoediis Plautinis valet, sequentes, adiectivorum vim praefixis *prae-* et *per-*[4]), quibus adhibitis optimi prosae orationis scriptores formam superlativam fingi vetabant[5]).

Talia adiectiva, quae e praefixo et adiectivo coaluerunt, apud Statium leguntur tria. Martialis, qui in his compositis fingendis cautior videtur fuisse, praepositionem prae adnexuit adiectivo *gravis* IV 18, 4 *prāegrăvĭs ūnda*, praepositionem per adiectivo *lucidus*[6]) IX 2, 9 *pērlūcĭdă moecha*, XII 38, 3 *perlūcĭdŭs ōstro.*

III. De verbo.

§ 10. Initium faciamus ab usu infinitivi, qui dicitur finalis. De infinitivi finalis usu pauca satis sunto,

---

[1]) Woelfflin l. c. p. 24.

[2]) Friedlaender in praef. ed. p. 27.

[3]) M. Schamberger, De P. Papinio Statio verborum novatore. Diss. phil. Halens. 17, 3 p. 289.

[4]) Woelfflin, l. c. p. 26—27.

[5]) Woelfflin, l. c. p. 47—48. Draeger I[2] p. 43.

[6]) cf. Tib. III 12, 13.

cum rem attingamus quae, quamvis ab exigiis initiis profecta[1]), tamen nullo linguae Latinae tempore non invenitur[2]), ut persaepe iam viros doctos ad perquirendum moverit[3]). Totam copiam exemplorum quae in Martialis carminibus insunt, collegit singulaque verborum genera distinxit Soedingius dissertatione *„De infinitivi apud Martialem usurpatione, Marburgi 1891“* conscripta, ex qua cognoscimus Martialem quoque ut priores infin. non modo post verba movendi, in quibus significatio finalis maxime vigebat, admisisse, sed etiam post alia verborum genera. Ac si quis quaerat, qua re factum sit, ut praecipue inde a Vergilio poetae infinitivum tam saepe in usum vocarent, non male respondere nobis videmur, quamquam vel scriptorum Graecorum auctoritas Romanos ad imitandum incitaverit, tamen vix futurum fuisse, ut tam late hic usus pateret, nisi metrum ex infin. forma tantum fructum percepisset[4]). Itaque Martiali non crimini damus, quod usum, qui vere iam in consuetudine poetica inveteraverat, suum quoque reddere non dubitabat. Cf. I 101, 8: *Munere dignus erat cōnvalŭīssĕ meo* pro: qui cōnvălēsceret aut cōnvălŭisset; XI 23, 15 *si nil pĕrfĕrrĕ recusas,* permulta alia, quae cum Soedingii librum habeamus, afferre supervacaneum est.

§ 11. Multo autem certius, ut ad temporum usum nos convertamus, metri necessitatem statuere possumus in infinitivo perfecti loco praesentis posito.

De vi et natura huius infinitivi, qui iam in prisca latinitate saepius occurrit[5]), quae viri docti multis annis ante exposuerunt, a recentioribus probata sunt[6]). Nam quae monuit Draeger distinguenda esse perfectum nulla certi temporis significatione

---

1) Brenous, Étude sur les hellénismes ... p. 274.

2) Draeger, Synt. II p. 292.

3) Draeger, l. c. P. Barth, De infin. apud scaen. poet. Latin. usu, Lips. 1881. Streifinger, De syntaxi Tibulliana p. 32. Brenous, p. 268. Woelfflin, Arch. II p. 135 et Arch. XIV p. 511. Norden, Comm. Verg. p. 278.

4) Brenous, p. 268, 280, 288.

5) Holtze, Syntaxis prisc. script. Latin., 1861, II p. 80. Schmalz, Syntax p. 295.

6) Draeger, I 230. Streifinger, p. 25. Soeding, p. 38 sqq. Brenous, p. 336 sqq. Woelfflin, Arch. XI p. 513. Norden, Comm. p. 145—146. Bednara, Arch. XIV p. 575.

positum ad exemplum aoristi Graeci et perfectum notione actionis vere perfectae, nemo adhuc data opera redarguit.

At ex hac radice quanta arbor provenerit, minus mirabimur, si praesentis infinitivos hexametro et pentametro saepe aut minus aptos fuisse aut omnino non convenisse nobiscum reputaverimus[1]).

Metro imprimis tribuimus in Mart. epigr. infinitivos hos: *āccŭbŭīssĕ*: XIV 135, 2 *Hoc opus est, pictis āccŭbŭīssĕ locis*; *dĕcŭīsse*: II 34, 4 *Quem nec casta potest iam dĕcŭīssĕ Venus*; *lĭcŭīssĕ*: VII 21, 4 *Debuit hoc saltim non lĭcŭīssĕ tibi*; *plăcŭīssĕ*: l. sp. 32, 2 *non dīsplĭcŭīsse meretur, festinat, Caesar, qui plăcŭīssĕ tibi*, VI 29, 9 *Quidquid amas, cupias non plăcŭīssĕ nimis*, IX 81, 4 *Malim convivis quam plăcŭīssĕ cocis*; *sūstĭnŭīssĕ*: XIV 91, 2 *An Libycas possint sūstĭnŭīsse trabes*; *tăcŭīssĕ*: X 48, 22 *quod tăcŭīssĕ velis.*

§ 12. Ille autem, cui non infinitivis his persuasum est commodis metricis usum perfecti auctum esse, vi illorum exemplorum se victum esse fatebitur, in quibus infinitivi praesentis et perfecti promiscue adhibentur.

Afferendi sunt hi loci[2]):

I 55, 6—10: *Cui licet exuviis nemoris rurisque beato*
Ante focum plenas ēxplĭcŭīssĕ plagas
Et piscem tremula salientem ducere saeta
Flavaque de rubro promere mella cado?

VI 2, 1: *Lusus erat saeva conubia fallere taedae*
Lusus et immeritos ēxĕcŭīssĕ mares.

VI 43, 7: *Quondam laudatas quocumque libebat ad undas*
Currere nec longas pērtĭmŭīssĕ vias.

VI 52, 3: *Vix tangente vagos ferro resecare capillos,*
Doctus et hirsutas ēxcŏlŭīssĕ genas.

VII 93, 3: *Quid tam saepe meum nobis abducere Quintum*
Te iuvat et lenta dētĭnŭīssĕ mora.

IX 28, 3: *Qui spectatorem potui fēcīssĕ Catonem,*
Solvere qui Curios Fabriciosque graves.

Tenendum est infinitivos praesentis a dactylis valde abhorrere: ēxplĭcāre, ēxsĕcāre, pērtĭmēre, ēxcŏlĕrĕ, dētĭnēre, făcĕrĕ.

---

1) Brenous, p. 338. 2) Soeding, p. 40.

Diversa autem rhythmorum ratio optime illustratur illis exemplis, in quibus una cum metro variant tempora

āccŭbŭīsse — āccŭbāre:

In dactyl. *āccŭbŭīsse*:
XIV 135, 2 *Hoc opus est, pictis āccŭbŭīsse toris.*

In hend. *āccŭbāre*:
V 70, 6 *Quanto maior adhuc, nec āccŭbāre!*,

quamquam h. l. infin. perf. multo propius ad sensum accedit quam inf. praes.[1]).

dĕcŭīssĕ — dĕcērĕ:

In dactyl.:
II 34, 4: *quem nec casta potest iam dĕcŭīsse Venus,*
l. sp. 15, 6 *Herculeas potuit qui decŭīsse manus.*

In hend.:
V 49, 5 *Quales vel puerum decere possint.*

plăcŭīsse — plăcere:

In dactyl.:
VI 29, 9 *Quidquid amas, cupias non plăcŭīsse nimis.*

In hend.:
II 86. 12 *Me raris iuvat auribus plăcērĕ,*
X 35, 2 *Vni quae cupiunt viro plăcērĕ,*
ibid. vers. 4 *Vni qui cupiunt plăcērĕ nuptae.*

Alterum argumentum, quo versuum auctoritatem in usu infin. perf. comprobari credimus est in collocatione. Satis habemus hoc loco statuere Martialem perpaucis exemplis praetermissis infinitivos formae (—) ⏑ ⏑ — ⏑ in altero hemistichio pentametri ante iambicam clausulam posuisse, cum in fine opusculi in universum de verborum collocatione copiosius agere mihi proposuerim.

---

[1]) cf. epigr.: *Infusum sibi nuper a patrono*
Plenum, Maxime, centies Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea quattuor peregit.
O quanta est gula, centies comesse!
Quanto maior adhuc nec accubare!

IV. De commutatione substantivorum, adiectivorum, verborum causis metricis effecta.

§ 13. De substantivo loco adiectivi usurpato nihil fere habeo, quod dignum sit mentione, nisi quod neutrum *frīgŏră*: I 55, 5 *frīgŏră saxi*; V 34, 5 et VII 65, 1 *frīgŏră brumae* poeta pro adiectivo eiusdem stirpis metri gratia inseruit.

§ 14. Quae Mart. in usu adiectivorum pro substantivis propria habet, haec sunt.

a) Adiectiva suffixi -eo- ope formata[1]) Martialis cum persaepe dactylos efficerent, libenter metro innexuit pro genetivis minus aptis. Genetivos *āequŏris, āequŏrum* (in hend. X 87, 18), *flūmĭnis, flūmĭnum, vīrgĭnis* (in chol. I 66, 7), *vīrgĭnum, fēmĭnāe, fēmĭnārum, vīpĕrāe* (in hend. IV 4, 11), *vīpĕrārum* (hend. I 41, 7) partim plane dactylos reformidare, partim difficultatibus modo syllabae extremae sublatis dactylis commodos esse apparet. Quam ob rem ut alii poetae iam saepissime adiectiva derivata arcessiverunt, ita Martialis quoque: *āequŏrĕus* l. sp. 27, 9, 28, 5, X 51, 8, XIII 84, 1, 89, 2, XIV 209, 1; *flūmĭnĕus* IV 66, 7, X 58, 4; *fēmĭnĕus* l. sp. 6ᵇ, 4, III 63, 7, VII 35, 7, VIII 68, 7, XI 47, 1, 78, 1, XII 38, 1; *vīrgĭnĕus* I 70, 4, IX 23, 1; *vīpĕrĕus* VII 12, 7[2]).

Idem suffixum iam dactylicis Augusteae aetatis adamatum[3]) Martialis non frustra auxilio arcessivit contra genetivos complurium nominum propriorum. Dabant enim versus hend. et chol. refugium genetivis *Agēnŏrīs* (hend. XI 1, 11), *Apŏllĭnīs* (hend. X 35, 20), *Hēctŏrīs* (hend. X 90, 6), *Nēstŏrīs* (hend. VI 70, 12, VIII 64, 14, X 67, 1), *Hērcŭlīs* (chol. III 47, 4), *Mēntŏrīs* (chol. III 41, 1), *Cāesărīs* (XII 65, 6 chol.), contra recipiebant hexametri et pentametri libenter adiectiva dactylica ab his nominibus similibusque deductis: *Agēnŏrĕus* II 43, 7, X 16, 7; *Antēnŏrĕus* I 76, 2, IV 25, 3, *Apŏllĭnĕus* X 12, 1[4]),

---

[1]) Norden, Comm. Verg. p. 212. Wackernagel, Genitiv u. Adjectiv (= Mélanges de linguistique offerts à M. Ferdinand de Saussure), Paris 1908, p. 141.

[2]) Koene, p. 51 et 207. Ladewig, Verg. Ged.[8], adnot. ad Aen. VII, 337.

[3]) Bednara, Arch. XIV p. 583.

[4]) Saepe auxilium fert synonymum *Phoebus*: cf. III 45, 1, IV 31, 8, 45, 8. Bednara, Arch. XIV p. 579.

Caesăreus l. sp. 1, 7; 12, 1; 28, 15; I 6, 3, III 95, 11, VIII 30, 1, X 28, 5, XIII 109, 1[1]); *Cupīdĭneus* VII 87, 9; *Hectŏreus* VI 71, 4, XI 104, 14; *Hērcŭleus* l. sp. 6ᵇ, 2, 15, 6, 27, 11, I 12, 1, IV 57, 9, VII 13, 3, VIII 55, 15[2]); *Mēntŏreus* IV 39, 5, IX 59, 16; *Nēstŏreus* IX 29, 1, XIII 117, 1[3]); *Tartăreus* V 34, 4, IX 65, 12[4]). Adiungamus adiectivum *Phīdĭăcus,* quod poeta pro genetivo molesto *Phīdĭae,* quem in hend. IX 44, 6 legimus, saepissime scripsit: III 35, 1, IV 39, 4, VI 13, 1, VI 73, 8, VII 56, 3, X 87, 16, X 89, 2[5]).

b) Postquam de dactylis verba fecimus, versus lyricos perquiramus. Apertum enim est genetivos aliorum quorundam nominum dactylis quidem neque tamen iambis vel trochaeis favere, ut Martialis suffixo idoneo formas rhythmis lyricis convenientes fingere coactus sit. Vsus est Martialis suffixo *-anus* vel *-ianus,* quod praeter cetera nominibus et cognominibus Latinis etiam in prosa oratione adnectitur[6]), hisce locis: XI 6, 14 (hend.) *Catŭllĭānus* pro *Cătŭllī,* quae forma saepe in fine hex. occurrit: VII 14, 3, XIV 100, 1, XIV 152, 1; XI 15, 6, XII 55, 7 (hend.), III 82, 26 (chol.). Adiectivum *Cōsmĭānus* pro genetivo, qui in vers. lyr. bis (XI 18, 9, XII 65, 4), contra in dactyl. sexies obviam it (I 87, 2, XI 8, 9,

---

[1]) Sed pro forma Caesărĕă occurrit VIII 1, 4 femin. *Caesărĭānă.* Stephani, p. 28.

[2]) Norden, Comm. Verg. p. 158. Persaepe invenitur patronymicum *Ālcīdēs*: l. sp. 16ᵇ, 2, V 65, 2, VI 68, 8 al. loc., bis nomen *Tīrȳnthĭus* (VII 15, 3, XI 43, 5) exstat. van Royen, De vocabulis patronymicis et ethnicis a poetis Latin. per metonymiam nominum propriorum loco positis. Diss. Hal. 1900 p. 31.

[3]) Genetivum *Nēstŏrĭs* Martialis in dactylis non admisit nisi illic ubi de longaevo illo substantivum *aetas* (II 64, 3) aut pluralem *anni* (V 58, 5) adhibuit. Scripsit igitur: *Nēstŏrĭs aetas et Nēstŏrĭs annos.* Sed in voce *sĕnēcta,* quae poetae sive genetivum sive adiectivum usurpanti ab attributo disiungenda erat, praetulit adiectivum: IX 29, 1, XIII 117, 1. Ethnicum quoque *Pȳlĭus* in usu est: IV 1, 3, VIII 6, 10 in dactylis, VIII 2, 7, X 38, 14 in principio hend. van Royen, De vocabulis patronymicis et ethnicis . . . p. 70.

[4]) Koene, p. 31 et 37. Norden, Comm. p. 215. Persaepe adiectivum *Stȳgĭus* Martialis exhibet: *St. umbras* I 101, 5. 114, 5, XI 84, 1, XII 90, 3; *St. undas* VI 58, 3, IX 51, 3; *St. aqua(s)* IV 73, 2, IX 101, 8; *St. lacus* I 78, 4, V 25, 6; *St. domo* XII 52, 12.

[5]) cf. Ovid. Ex Ponto IV 1, 31. [6]) Stephani, p. 56.

50, 6, XIV 59, 2, 110, 1, 146, 1). Maxime idonea erant Martiali, hendecasyllaborum poetae, adiectiva *Nīcĕrōtĭānus* et *Nerōnĭānus*; illud in hend. bis (VI 55, 3 et X 38, 8), hoc quater in hend. (II 48, 8, VII 34, 5 et 9, XII 83, 5) et semel in chol. (III 25, 4) invenitur, contra genetivus *Nĕrōnis* ter in dactylis et bis tantum in hend. A nomine proprio Pĕtīlius petivit Martialis adiectivum *Pĕtīlĭānus,* quod genetivo Pĕtīlī multo aptius erat chol. (XII 57, 19). Neque illa adiectiva sunt praetereunda, quibus non unam rem, sed totum quoddam genus Martialis significat, dico adiectiva *Vitēllĭāni*[1]) (pro codicilli) II 6, 6 et XIV 8, 2 in hend., *Grātĭāna*[2]) (pro vasa) IV 39, 6 in hend., *Opīmĭāna*[3]) (pro nectar vel bonum vinum) III 82, 24 in chol., IX 87, 1 et X 49, 2 in hend.

§ 15. Extrema hac parte inquiramus, quomodo Martialis adiectivis metro dactylico resistentibus remedium petiverit e verborum participiis.

a) Quam brevissime quattuor exemplorum mentionem faciamus, in quibus Martialis adiectivo vĕnĕrābĭlis, quod aetate Augustea natum esse videtur[4]), participium futuri passivi quod dicitur praetulit *vĕnĕrandus,* cum neutrum vĕnĕrābĭlĭă non nisi per elisionem litterae ă finalis dactyl. aptum fieret. cf. I 70, 5, III 69, 7, X 58, 13, XII 3, 7.

b) Paucis etiam pertractanda sunt participia praesentis activi I. coniug. loco adiectivorum eiusdem stirpis posita. Neque enim argumentis tumidis firmari opus est Martialem participiis *gēmmāntēs* XII 66, 5, XIII 70, 1 et *spūmāntēs* XI 69, 9, XIV 70, 2 insuperabili in dactylis difficultati formarum ab adiectivis gēmmĕus et spūmĕus derivatarum (in chol. X 3, 10 *gēmmĕus*; III 58, 13 *gēmmĕī*) occurrere voluisse. Contra neutrum pluralis *gēmmĕă* VI 47, 2 in dactylis obvium.

c) Vberius disserere nobis liceat de alternatione adiectivorum II. declinationis in -ido exeuntium et participiorum eorum verborum, a quibus descendunt haec adiectiva. Cui tamen expositioni haec videntur praemittenda esse:

---

[1]) cf. Friedlaenderi adnot. ad II 6, 6. Marquardt, Privatleben der Römer II p. 781.

[2]) cf. Friedlaenderi notam ad IV 39, 6. Marquardt, l. c. p. 675.

[3]) cf. Friedlaenderi notam ad I 26, 5. Marquardt, l. c. p. 428.

[4]) Norden, Comm. Verg. p. 236.

Adiectivorum a verbis II. coniugationis suffixi -ido- ope derivatorum, quae poetas omnium temporum et tragicos et epicos et lyricos in deliciis habuisse scimus, si prosodiam spectamus, duo genera disiungenda sunt: adiectiva, quorum stirpes sunt correptae, et adiectiva, quorum stirpes sunt productae. Per se apparet adiectiva prioris generis, cum omnes fere casus dactylis optime aptari possent, a poeta summo studio in rhythmis dactylicis adhibita esse: dico autem rhythmos vere dactylicos et principium versus Phalaecii. De collocatione participiorum huius generis id unum adnotamus casus obliquos in epigrammatis maxime efficere finem et hexametri (II 16, 3, V 22, 11, VI 35, 3, XIV 117, 1) et hendecasyllabi (IV 55, 18, V 2, 7, VI 55, 4, VI 70, 3, XII 93, 4, XIV 206, 2). Eo acrius dactylis restiterunt adiectiva alterius generis. Nam praeter perpaucas illas formas, quae in adiectivis prioris modi difficultates praebere poterant, omnes fere casus a rhythmo dactylico relegati erant. Hic quoque Martiali melius remedium in promptu non erat illo quod supra iam (p. 19(b)) cognovimus, dico verborum participia. Cesserunt igitur formae ālgĭdās, fērvĭdōs, tōrrĭdās, aliae participiorum casibus *ālgēntēs* IV 5, 6, XIV 137, 2, *fērvēntēs* l. sp. 28, 5, *tōrrēntĭbŭs* X 85, 3, *flōrēntēs* IX 74, 3, *strīdēntes* X 82, 3, *pāllēntēs* XI 6, 6, XIII 17, 1, *splēndēntī* VII 27, 3, *tōrrēntĕ* XII 3, 13, *ālgēntēm* V 78, 8, *fērvēntĕ* X 58, 3, *strīdēntem* XIV 33, 2. Magis commodi quam metri causa exstant neutra *frīgēntĭă* X 26, 5 et *līvēntĭă* X 37, 11, cum alioquin in his neutris adiectiva anteponantur: cf. *lūcĭdă* IX 71, 8, *cāndĭdă* VIII 77, 5, X 13, 5, XIV 167, 2, *hōrrĭdă* II 36, 6, IV 57, 5, IX 12, 2, *lānguĭdă* VIII 51, 16, XIV 5, 1, *mūcĭdă* VIII 6, 4, *sōrdĭdă* V 22, 6, IX 8, 4, X 96, 4, *splēndĭdă* l. sp. 11, 3, XIV 164, 1. Restat ut copiam participiorum cum copia adiectivorum conferamus atque ita argumento quasi e contrario petito, quae exposuimus, confirmemus et augeamus. Sed nobis Martialis epigrammata hoc fere negare aegre ferimus, quae non plus duos casus obliquos adiectivorum ab illis verbis derivatorum praebeant, quorum participia supra collegimus: *fērvĭdī* VI 42, 5 in hend. et *līvĭdōs* VII 20, 7 in chol. (Addatur nomin. *pāllĭdūs*, qui legitur XII 32, 8 in chol. et I 49, 35

[1]) Ploen, De cop. verb. diff. p. 50 et 55.

in sen.) Contra adiuvatur disputatio nostra aliorum adiectivorum, de quibus etiam infra agendum erit, exemplis. Inveniuntur enim in hend. hae formae: *ārĭdō* VI 42, 17; *ārĭdī* VIII 64, 6, VIII 72, 2, X 87, 5; *cāndĭdās* VII 89, 3, IX 90, 17; *lānguĭdā* V 24, 13; et in chol.: *ārĭdām* IV 70, 1; *hōrrĭdī* X 92, 6; *hōrrĭdīs* X 62, 8; *sōrdĭdāe* III 58, 12; *sōrdĭdām* VII 20, 8, XII 57, 7; *sōrdĭdī* XI 98, 5; *tūrgĭdīs* VI 39, 8; *tūrgĭdūm* IX 27, 12.

B. De lexico Martialis.

§ 1. Satis constat versuum necessitate factum esse non solum ut formae vocabulorum sive syncopa sive elisione sive prosodiae variatione mutarentur et leges grammaticae, quas optimi prosae orationis scriptores sanxerant, migrarentur, sed etiam ut verborum copia aliquanto amplificaretur. Nam cum poetae dactylici permultas voces non raro in soluta oratione usitatissimas versibus recipere non possent, quid mirum, quod novas vias investigarunt et verborum suffixa mutantes et omnino nova vocabula fingentes et Graecorum voces exhibentes, ut sic linguam versibus aptam redderent. Neque enim, ut exemplo utar, dubitari potest, quin tota verborum genera velut adiectiva suffixorum -fer et -ger ope ficta et substantiva in suffixum -men cadentia magnam partem rationibus metricis debeantur.

Quam ob rem sane in his rebus nos, quamquam novae formationes et commutationes non raro elatiori et sublimiori poetarum dictioni idoneae esse videbantur, persaepe minus ingenium poetae quam sermonem versuum auctoritate subactum miramur. In Martialis carminibus, quatenus novae vocabulorum formae praescriptis rhythmorum explicentur, docuit Aemilius Stephani, cuius dissertationem „*De M. Valerio Martiale verborum novatore*“ in totius huius operae praefatione laudavimus.

Nos vero primum agamus

I. De flexionum alternatione.

§ 2. In substantivis. De duplici forma contagio — contagium[1]) testes nobis sunt grammatici veterum Nonius[2]) et Marius Victorinus[3]), quorum alter flexionis commutationem ita illustrat: „*Contagio apud omnes fere veteres scriptum est, nominativo casu ut obsidio et oblivio, sed poetarum licentia primo fecit contagia et obsidia et oblivia, postea dici coepit et oblivium et obsidium et contagium. Cum antiquitatem igitur posterior consuetudo vincat, vos utro modo scriptam vocem hanc inveneritis, ita relinquite dum non ignoretis ab antiquis nominativo haec contagio dictum.*“

Primus Lucretius, quem Vergilius secutus est (ecl. I 50 *contāgĭă laedent*) pluralem *contāgĭă* versibus inseruisse videtur (III 740 L). Quam formam posteriores quoque dactylici — Martialis XI 47, 7 *contāgĭă vitet* — civitate donaverunt, contra recusabant, ne alteram formam ab eodem, cui pluralem contāgĭă debebant, novatam *cōntāges* versibus reciperent[4]).

De sensu utriusque formae iuventus et iuventa[5]) Reisigius quidem copiose disseruit[6]), sed multo simplicius ac rectius disputavisse mihi videtur Gruber ad Tac. Germ. 20, 3: discrimen formarum non tam positum esse in ratione logica quam in sermone et poetarum et scriptorum prosae orationis. Antiquissimis temporibus formam in -tus exeuntem solam exstitisse satis constat[7]). Martialis quoque recentiorem iŭvēnta anteposuit scribens *iŭvēntāe* II 90, 1 et abl. *iŭvēntā* pro iŭvēntūtĕ, quae forma, nisi ultima syllaba elidebatur, modo in clausula vers. chol. collocari potuit: VII 40, 5 *viridi fraudata iŭvēnta*; X 50, 5 *prima fraudata iŭvēnta*[8]).

Vterque accusativus, et grātĭās et grātēs in lingua Latina occurrunt, tamen forma III. declin. a poetis imprimis

[1]) Koene, p. 121. Ploen, p. 29. Neue I^3 644.

[2]) p. 199 (Mueller 293).

[3]) Keil, Grammatici Latini VI, 25.

[4]) Lachmann, Comm. Lucret. ad III, 734 et IV, 311. Neue I^3 p. 374.

[5]) Bednara, Archiv XIV p. 346.

[6]) Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft I p. 163.

[7]) Brugmann, Archiv XV, 1908, p. 1 sqq.

[8]) cf. Verg. Aen. V 295 et Ovid. Met. X 196.

dactylicis usurpatur. Catullum ratio vers. hend. non impedivit quominus in principio huius versus formam I. declin. adhiberet: 49, 4 *Grātĭās tibi maximas Catullus,* cum ei non opus esset certam normam initii hendecasyllabi servare[1]). In Mart. hend. forma grātĭās non nisi in altera parte poni potuit. Prout igitur metrum iubebat aptiorem formam elegit poeta: *grātēs* XII 9, 3 in dactyl., *grātĭās* IX 6, 2 in chol.

§ 3. In adiectivis. a) Adiectiva composita. Me quidem mirum non habet, quod Martialis alioquin haudquaquam timidus et continens in vocibus novandis, suffixa -fer et -ger dactylis gratissima tam raro substantivis adnexuit. Nam cum omnem fere dicendi tumorem respueret[2]), cui poetae primi p. Chr. n. saeculi studiis rhetoricis adducti, haud minimum Statius aequalis, indulgebant, compositis quoque abstinebat, quae elatiori et epicae poesi, sed non simpliciori orationi placebant. At compositis a prioribus in sermonem poeticum introductis uti ad sanandas difficultates metrorum non dubitabat[3]). Adiectiva suffixo -ger instructa inveniuntur haec:

bēllĭgĕr pro bēllĭcōsus[4]), quod adhibere licuit Statio in vers. hend. Silvarum carminis IV 3, 9: *Sed qui limina bēllĭcōsa Iani,* legitur in l. sp. 6, 1: *bēllĭgĕr* . . . *Mars*; VII 1, 1 *bēllĭgĕrāe Minervae*; V 24, 11 *bēllĭgĕrā hasta.*

laūrĭgĕr: III 66, 3 *laūrĭgĕrōs triumphos.*

In suffixum -fer cadunt adiectiva

aūrĭfĕr: *Aūrĭfĕrūm* ante Martialem — cf. X 96, 3 *aūrĭfĕrūmque Tagum*; XII 3, 3 *aūrĭfĕrī de gente Tagi* — iam Catullus (29, 19) et Ovidius (am. I 15, 34) Tagum, Lusitaniae

[1]) Vide testimonia veterum grammaticorum ad carmen dedicatorium in editione Baehrensiana adscripta.

[2]) cf. epigr. IV 49, 7:

A nostris procul est omnis vesica libellis
Musa nec insano syrmate nostra tumet.

[3]) Deipser, De P. Papinio Statio Vergilii et Ovidii imitatore, Argentorati 1881 (= Diss. phil. Argent. V p. 217). Idem, Bildung und Bedeutung der lat. Adj. auf -fer und -ger, Programm des Realgymnasiums v. Bromberg 1886. Stephani, p. 72. Bednara, Aus der Werkstatt der daktyl. Dichter, Arch. XV p. 229.

[4]) Koene, p. 212.

flumen, vocaverant. Ita in dactylis. Contra in sen. I 49, 15 Martialis utitur adiectivo aūrĕus: *aūrĕō Tago*[1]).

lūcĭfĕr: Pro formis lūcĭdāe et lūcĭdām exhibuit poeta formas longiores *lūcĭfĕrāe* XI 69, 6 et *lūcĭfĕrām* X 70, 7. Contra pro forma lūcĭfĕrā scripsit IX 71, 8 *lūcĭdă*.

salūtĭfĕr: Cum Statio aequali (cf. Silv. III 4, 25) commune habet Martialis adiectivum compositum *salūtĭfĕr*: V 1, 6 *salūtĭfĕrīs,* quod ad exemplum Ovidii (cf. met. II 642 et heroid. XXI 174) pro adiectivo salūtāris positum est.

b) Plura dicenda sunt de adiectivis simplicibus. De adiectivis suffixi -īcius ope formatis[2]), quae derivantur et a substantivis et ab adiectivis et a participiis perfecti, recte Ploenius[3]) et Woelfflinus[4]) iudicaverunt poetas in oratione sublimiore illud suffixum vulgaris et cotidiani sermonis proprium repudiavisse excepto adiectivo *natālĭcius* (Mart. VII 86, 1; VIII 38, 12; VIII 64, 4). Martiali igitur poetae a dictione tumida alieno hoc suffixum valde placuisse non miramur, praesertim cum terminatio īcĭus dactylis faveret. Novata sunt a Martiale adiectiva *căthĕdrālĭcius*: X 13, 1 *căthĕdrālĭcĭōs ... ministros*; *praetōrĭcius*: VIII 33, 1 *praetōrĭcĭā ... corona*; *Flōrālĭcius*: VIII 67, 4 *Flōrālĭcĭās ... feras,* pro adiectivis minus commodis căthĕdrālis sive căthĕdrārĭus, praetōrĭus, Flōrālis.

Adiectiva quae vocantur materialia[5]), in prisca latinitate partim suffixi -no-, partim suffixi -eo- ope formantur. Contaminatione horum suffixorum praeter cetera Romani adiectivum *fagineus* finxerunt[6]). Sed ut iam Vergilius primus, cum nominativus făgĭnĕŭs ante vocalem et neutrum făgĭnĕă metro dactyl. reicerentur, analogia adiectivi Graeci ab Homero usurpati φήγινος adductus breviorem formam *făgĭnus* de-

[1]) cf. Stat. Silv. I 2, 127: *fulvoque Tagum ... limo.*

[2]) Paucker, Vorarbeiten zur latein. Sprachgesch., Berlin 1884, I p. 93. Horning, Grammatisches, 1. Die Suffixe īcĭus, ĭcĭus (= Groeber, Zeitschr. f. rom. Philol., 1885, IX p. 142). Woelfflin, Archiv V p. 418.

[3]) p. 55. [4]) l. c. p. 419.

[5]) J. Schwede, De adiectivis materiem significantibus, quae in prisca Latinitate suffixorum -no- et -eo- ope formata sunt, Diss. Vratisl. 1906 p. 2 sqq.

[6]) Schwede, l. c. p. 18 sqq.

rivaverat (ecl. III 37; georg. III 172), ita Martialis quoque breviore adiectivo usus est II 43, 10: *făgĭnă mensa*[1]). Similiter cum adiectivi forma pūlvĕrĕā apta non esset, adhibuit Martialis adiectivum *pūlvĕrŭlentus* IV 19, 6; VII 32, 10; XII 2, 2[2]). Sed pro ablativo vīrgĭnāli in principio hend. formam *vīrgĭnĕō* IV 64, 16, pro accusativo vīrgĭnālem formam *vīrgĭnĕām* I 70, 4 in usum vocavit. In numero adiectivorum, quae Vergilius suffixi -eo- ope finxit[2]), est adiectivum *fūmĕus*. Cuius neutrum *fūmĕă* Martialis dactylis immisit XIII 123, 2. Ceterorum casuum causa Vergilius terminationes -fer et -ficus arcessivit[3]), Martialis terminationem -osus: V 30, 5 *fūmōsō Decembri,* XII 82, 11 *fūmōsāe lagonae.* Metro concedendae sunt variae adiectivorum formae: *rēgĭus* — *rēgālis*: *rēgĭă* et *rēgĭūs* in dactyl. VIII 36, 1; X 94, 2 exstant, contra pro rēgĭō dixit poeta *rēgālī* IV 59, 5[4]). *ūrbānus* — *ūrbĭcus,* quam formam Martialis primus I 53, 5 usurpavit. *īnnŏcens* — *īnnŏcŭus,* quarum formarum priorem poeta in hend. posuit I 82, 11, alteram in dactylis I 4, 7; III 99, 3; VII 12, 9[5]). *tenēbrĭcōsus* — *tĕnēbrōsus*: I 59, 3[6]).

Scriptores solutae orationis exhibent formas *īnfĕrus* et *sŭpĕrus* sine littera n[7]). Poetae dactylici cum alteram, *īnfĕrus,* non facile in casibus obliquis in versum redigere possint, semper fere adiectivum suffixi -no- ope formatum in usum vocant: *īnfĕrnus,* quod maxime de iis rebus dicitur, quae spectant ad „domum Plutoniam“ (Hor. c. I 4, 17)[8]): *īnfĕrnās ... ad umbras* XI 5, 13; XI 69, 11 *ad īnfĕrnās ... aquas* IX 29, 2.

[1]) cf. Bednara, Archiv XIV p. 593.

[2]) Norden, Comm. Verg. p. 212.

[3]) Norden, ibid. p. 277.

[4]) Verg.: rēgĭfĭcus Aen. VI 605. Norden, Comm. p. 280.

[5]) Koene, p. 218. Bednara, Arch. XIV p. 589.

[6]) Norden, Comm. p. 154.

[7]) Koene, p. 211. Piderit, Cic. de oratore[5], 1878, ad III 19, 69. Cf. Plin. N. H. III 5, 44 (Mayhoff): *duo maria, inferum et superum.*

[8]) Lucanus poeta hoc adiectivo significat mare illud, quod Etruriam alluit et mare Tuscum ac Tyrrhenum vocatur:

Mons inter geminas medius se porrigit undas
Īnfĕrnī sŭpĕrīque maris (II 400).

Haud raro commutationes factae sunt in adiectivis, quae a nominibus propriis descendunt. Suffixo -ĭcus, quod Graecis et Romanis commune est, adiectiva geographica finguntur[1]). Quod suffixum stirpibus trochaicis adnexum dactylos effecit, a quibus breviores formae suffixi -no- ope fictae abhorrent. Metri igitur auctoritate tribuimus adiectiva *Sēquănĭcus* IV 19, 1[2]) pro breviore Sēquănus, cuius neutrum pluralis *Sēquănă* Lucanus hexametro recepit I 425. *Līngŏnĭcus* legitur pro Līngŏnus I 53, 5[2]). Non minora commoda dactylicis adiectiva praebebant geographica, quae terminationem Graecam -ĭăcus (-ιακός) acceperant. Huius modi in Mart. epigr. reperiuntur haec: *Cythērĭăcus* pro Cytherēĭus II 47, 2; XIV 207, 1. Contra pro Cythērĭăcă VIII 45, 7 neutrum *Cytherēĭă*[3]); *Lēmnĭăcus* V 7, 7: *Lēmnĭăcīs catenis*[4]) ponitur pro Lēmnĭus vel Lēmnĭēnsis; *Nīlĭăcus* pro Nīlōtĭcus V 13, 7 (*Nīlĭăcae*); IV 42, 3; V 65, 14 (*Nīlĭăcīs*); XIII 1, 3 (*Nīlĭăcās*). Sed pro neutro Nīlĭăcă usurpatur VI 80, 1 *Nīlōtĭcă*[5]).

Idem suffixum -icus in hend. auxilium tulit. Nam cum Mithridātēus, qua voce Ovidius usus erat, rhythmis iamborum et trochaeorum obsisteret, versibus recepit Martialis primus adiectivum *Mithrĭdātĭcus* VI 19, 5 (*Mīthrĭdātĭcŭmque bellum*), quod in prosa oratione iam Cicero adhibuerat[6]).

Natura conveniunt versibus dactylicis adiectiva quaedam suffixi -eo- ope formata: *cōccĭnĕus* (in lemmate XIV 131), *sūlphŭrĕus* (I 12, 2; VI 43, 2)[7]). Versus hend. et chol., quibus adiectiva ita sonantia parum essent idonea, refugerunt ad adiectiva in suffixum -atus exeuntia, quod scriptores epicae quidem dictionis contemnebant, sed breviorum carminum et tenuioris poesis valde amabant[8]). Praetulit igitur Martialis

---

[1]) Stephani, p. 61. Schamberger, p. 254.

[2]) Stephani, l. c. [3]) M. Haupt, Opusc. III p. 506.

[4]) Stephani, p. 30.

[5]) Haec terminationum mutatio in Lucano quoque obvia est. Cf. IX 130 *Nīlōtĭcă rura*; IX 135 *littore Nīlĭăcō*. — Hosius, Lucan und Statius, Neue Jahrb. f. Phil. u. Paedag. vol. 145 (1892) p. 350.

[6]) cf. De imperio III 7: *delenda est vobis illa macula Mithridatico bello concepta.*

[7]) Hoc adiectivum iam apud Ennium de undis dicitur: Schwede, p. 11.

[8]) Stephani, p. 63 sqq. Schamberger, p. 279.

adiectiva *cōccĭnātus*[1]) I 96, 6 et V 35, 2 in chol. et *sūlphŭrātus* I 41, 4 in hend., X 3, 3 et XII 57, 14 in chol.[2]). Similiter metro exigente nominativus *ēnthĕă* XI 84, 4 in pent.[3]), contra *ēnthĕātus* XII 57, 11 in chol.[4]) occurrunt. Neque silentio praetereamus suffixorum commutationem in adiectivis *pūrpŭrĕus* et *pūrpŭrātus*. Nam ut forma altera pūrpŭrātus (cf. Plaut. Most. 289: Pulcra mulier nuda erit quam purpurata pulcrior) ita prior quoque interdum idem denotat quod purpura coloratus vel decoratus purpura (cf. Mart. V 6, 14 in hend.), id quod iam apud Catonem, Lucilium, alios fieri videmus[5]). Hoc sensu *pūrpŭrĕus* apud Martialem exstat VI 11, 8 *Vis te purpŭrĕūm, Marce, sagatus amem?* et XII 17, 8 *Dormit et in pluma pūrpŭrĕōque toro.*

II. De usu circumlocutionum.

Cavendum est, ne usum periphraseon tractantes in statuendis difficultatibus et remediis versuum longius procedamus, cum haud ignoremus circumlocutiones rarissime e metri necessitate, contra maxime ex ingenio poetae fluxisse ad sermonem ornandum.

§ 4. De nominibus propriis. Non tractaturus sum patronymica et ethnica[6]) copiose, cum hae res, in quas nuper Bednara quoque inquisivit[7]), et usitatissimae et notissimae sint. Nec falso de his van Royenus censet omnes fere poetas in nominum propriorum usu paene reformidasse ab adhibendis ipsis nominibus, contra in deliciis habere nomen a patre vel a patria illius, quem vocare vellent, fictum ponere[8]). Im-

---

[1]) Adiectivum hoc a Martiale primo usurpatum est.

[2]) Apparet igitur poetam metro coactum adiectiva suffixorum -eus et -atus ope ficta discrimine coloris et materiae variare pro nihilo putasse.

[3]) cf. Stat. Silv. I 4, 25.

[4]) cf. Verg. aen. V 202 *fŭrēns ănĭmī.*

[5]) Schwede, p. 15.

[6]) Angermann, De patron. Graec. formatione (= Curtius, Stud. zur griech. u. lat. Gramm., Lips. 1868, I 1 p. 34). Schulze, Quaestiones epicae p. 150. Mueller, De re metr.² p. 490.

[7]) Archiv XIV p. 579 sq.

[8]) van Royen, De vocabulis patronymicis et ethnicis a poetis Latinis per metonymiam nominum propriorum loco positis, Diss. Halens. 1900 p. 1.

primis epicos, Ennium dico et Vergilium, periphraseon fuisse cupidos consentaneum est imitatos in his rebus, ut verbis Ovidii utar (am. III 9, 25)

Maeoniden, a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis[1]).

Sed ut rem persequamur, licet circumlocutiones maxime ornatus gratia effectae sint, tamen in nonnullis certe statuimus gravissimam causam periphraseos adhibendae non ab ornandi studio, sed a metri necessitate esse repetendam.

Ethnicorum ope Martialis evitavit nominativum Ŏvĭdĭus scribens *Paelĭgnus . . . poeta* II 41, 2 in principio versus Phalaecii et dativum Eūrȳstheō IX 65, 5 utens periphrasi *Ārgŏlĭcō tyranno* IX 65, 5[2]).

Neque aliter dactylis refragantur casus obliqui nominis Hĭspānĭă. Huic nomini, cuius ablativus et genetivus in dimetro inveniuntur III 14, 2 et I 49, 2, Martialis auxilio venit et adiectivo *Hēspĕrĭus* (cf. VIII 78, 6 *Hēspĕrĭo . . . orbe*)[3]) et adiectivo vel substantivo *Hĭbērus* exhibito (cf. X 20, 5 *in terris . . . Hĭbēris*; XII 9, 1 *Palma regit nostros . . . Hĭbēros*)[4]).

---

[1]) Norden, Comm. p. 130. van Royen, p. 19.

[2]) Suo iure Stephanius disseruit Martiali in re metrica austeriori non licuisse idem quod Catullo, Vergilio, Propertio, qui per synizesin formas in dactylos quadrantes effecerunt (Cat. 64, 336 *Pēleō*; Verg. aen. VIII 292 *Eurystheō*; IX 716 *Typhoeō*; Prop. III 19, 13 *Enīpeō*; III 5, 7 *Promētheō*). Verisimile est hanc ob rem Martialem in nominibus propriis Orpheus, Peleus, Tereus declinationem Graecam Latinae praetulisse cf. l. sp. 21 b, 1 *Ōrphĕă*; II 64, 3 *Pēlĕŏs*; IV 49, 4 *Tērĕŏs*. Stephani, p. 27. van Royen, l. c. p. 61. Sniehotta, De vocum Graecarum apud poetas Latin. dactylicos ab Ennii usque ad Ovidii tempora usu, Diss. Vrat. 1903 p. 23. Welzel, De Claudiani et Corippi sermone epico, Diss. Vrat. 1908 p. 86. Friedrich, Comm. Cat. p. 392.

[3]) Horatius nomen Hesperia et adiectivum Hesperius de Italia quoque adhibet. Cf. c. III 6, 8 et c. I 28, 26 (Mueller in ed. Lips. 1890 p. 266). Norden, Comm. p. 116.

[4]) Et sic saepius pars pro toto ponitur: *Aūsŏnĭus* pro Ītălus: l. sp. 4 b, 1; VI 60, 4, contra *Ītălă regna* X 103, 10. Norden, Comm. p. 141. *Lĭbўa* pro Āfrĭca: V 74, 2 *Lĭbўae*. Contra Horatius formam *Āfrĭcae* in vers. asclep. III 16, 1 et ablat. *Āfrĭcā* in dim. trochaico II 18, 5 posuit. Norden, Comm. p. 326.

Pro ablativo Sātūrnālĭbus periphrases has in usum vocavit poeta: *Sātūrnī . . . tempore* II 85, 2, X 29, 1 et *mădĭdīs, Sātūrnē, dĭēbus* XIV 1, 9.

Denique non omittamus, quod Martialis ipse de nomine „E a r i n u s" omnia metra reformidante statuit in epigr. IX 11[1]). Quamquam Martialis Earinum, Domitiani imperatoris ministrum, quattuor carminibus propter pulchritudinem laudibus effert, frustra tamen nomen ipsum „Earinus" quaerimus. In epigr. IX 11, 13 poeta illum nomine in Graecorum quidem sermone usitato vocat, sed reprehendit Graecos in re metrica non religiosos et dolet poetis Romanis tantam licentiam, quanta fruerentur Graeci, negatam esse:

Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam.
Sed tu syllaba contumax repugnas.
Dicunt Eiarinon tamen poetae
Sed Graeci, quibus est nihil negatum
Et quos Ἆρες Ἄρες decet sonare[2])
Nobis non licet esse tam disertis
Qui Musas colimus severiores.

Haec poetae verba etiam in dactyl. vim habent. Itaque coactus est Martialis has periphrases exhibere: IX 12, 4 *Tempora cui nomen verna dedere, quis est?*; IX 13, 1 *Nomen habes teneri quod tempora nuncupat anni*; IX 16, 4 *Nomine qui signat tempore verna suo.*

§ 5. Quae de s u b s t a n t i v o r u m c i r c u m l o c u t i o n i b u s mihi dicenda sunt, perpaucis absolvuntur. Carmina quae longe plurima Martialis finxit, in dactyl. octies appellat vocabulo Graeco *dīstĭchă*: II 71, 2; 77, 8; III 11, 2; VI 65, 4; VII 85, 2; VIII 29, 1; XI 108, 2; XIII 3, 5, contra molestum ablativum dīstĭchō (vel dīstĭchīs) ad Ovidii exemplar (am. I 1, 30) circumscripsit numerum pedum computans: *Ūndēnīs pĕdĭbūs* X 9, 1 (in hend. parte cum rhythmis dactyl. congruente). Praeterea memoria sunt dignae periphrases sub-

---

[1]) L. Mueller, De re metr.[2] p. 522. Schulze, Quaest. epic. p. 1.

[2]) cf. Marx, Comm. Lucil. p. 132.

stantivorum ōscĭtātio[1]) et ărĭes. Loco vocis prioris Martialis adhibuit circumlocutiones *ăpĕrtă . . . ōra* I 14, 4 et *ăpĕrtō . . . ōre* V 55, 3. In vocabulo ărĭes, cuius omnes casus obliqui dactyl. fugiunt, Martiali auxilio venit mythologia. Nam scripsit pro genetivo ărĭĕtĭs X 51, 1 *Phrīxēī . . . agni* (cf. VI 3, 6; VIII 28, 20; XIV 211, 1).

§ 6. Circumlocutio adiectivorum metri causa effecta rarissima videtur esse. Tamen haec exempla optime metrorum vim illustrant. In sen. I 49, 41 Mart. habet adverbium *īmpŭdēnter*. In dactylis, qui hoc adverbium non recipiunt, usurpavit circumlocutiones has: XI 27, 7 *Aut cum pĕrfrĭcŭīt frontem pŏsŭītque pudorem*; XIV 210, 2 *Quisquis plūs iūstō non sapit, ille sapit.* De formis incommodis adiectivi līgnĕus, quod in poesi scaenica maxime Plautus in deliciis habet[2]) (Mart. in chol. X 100, 6), poeta XIV 44, 1 satis durum ac vere insolens auxilium arcessivisse mihi videtur, loco accusativi adiectivi līgnĕūm (scil. candelabrum) materiem significantis substantivum primitivum ponens: *Esse vides līgnūm*[3]). Miramur quod Martialis non rationem Lucilii secutus est, qui teste Prisciano in V. saturarum libro (224 M) deminutiva forma usus erat, quae in universum, id quod nuper monuit Schwede, dactylicis poetis in talibus adiectivis gratissima erat[4]). In numero adiectivorum, quae Martialis versuum lyricorum gratia novavit, est *pūmĭcātus* (in chol. I 66, 10 et V 41, 6)[5]), quo adiectivo idem denotavit quod Catullus in primo nugarum carmine (v. 2) duobus his vocabulis *pumice expolitum.* Periphrasibus Martiali quoque utendum erat, cum in dactylis, a quibus illud adiectivum absonum erat, sensum adiectivo insitum exprimere volebat. Repperi circumlocutiones has: I 117, 16 *rāsūm pūmĭcĕ* et XIV 205, 1 *pūmĭcĕ lēvis.*

§ 7. De circumscriptionibus verborum quas hac expediamus particula, illud primum statuendum est Martialem

1) Contra in vers. hend. II, 6, 4 ōscĭtātĭōnes. Cf. Stat. Silv. IV 9, 20. Stephani, p. 39. Verbi participium legitur in Catulli carm. 25, 5:

Cum diva mulierarios ostendit ōscĭtāntes.

2) Schwede, p. 8.

3) In epigr. VI 49, 3 sententia *Dē lignō mihi quolibet columna est* perfecto passivi *dolata* e primo carminis versu complenda est.

4) Schwede, p. 10. 5) Stephani, p. 63.

ut vix alium quemquam abundare remediis verborum a dactylis plane absonis. Verbis ōscŭlāri et bāsĭāre, quorum hoc saepissime in vers. lyr. obvium: I 94, 2; VI 66, 7; VII 95, 4 et 7; VIII 44, 15; X 72, 7; XI 61, 5; XI 98, 8. 20. 23; XII 55, 3 et 5; XII 59, 7; XII 93, 1 (alterum: ōscŭlāri plane deest)[1]) subveniunt substantiva cognata. Commodis enim neutrius numeri pluralis utens ita verba circumlocutus est: *ōscŭlă dare* XI 23, 13; XIII 18, 2[2]); *bāsĭă dare* II 10, 1; II 21, 1; II 22, 3 et 4; VI 34, 1; VI 50, 6; VIII 46, 6; IX 93, 7; XI 6, 14; XI 23, 10; XI 26, 3; *bāsĭă carpere* IV 22, 7; V 46, 1[3]); *bāsĭă terere* XI 22, 2; *bāsĭă imprimere* X 42, 5; porro sensu passivo *bāsĭă iactare* I 3, 7; *incīdĕrĕ in bāsĭă* XI 95, 1; *bāsĭă capiunt* XI 104, 9; *bāsĭă crepant* I 76, 14.

Verbum nōmĭnāre quoque periphrasibus haud paulum adiuvatur[4]), quarum in Mart. epigr. exstant hae: III 1, 2 *Gallia . . . nomine dicta* pro nōmĭnāta; XIII 97, 2 *nomen habet* pro nōmĭnātur; VIII 33, 2 *nōmen hăbēre* pro infin. nōmĭnāri. Contra in hend. *nōmĭnābit* X 78, 13 et *nōmĭnātur* IX 11, 2. Aliud auxilium versibus adhibuit Lucretius, qui formam frequentativam in usum vocavit: *nōmĭnĭtāre*[5]). Synonymum *āppĕllāre,* quod humilius dicendi genus amabat[6]), apud Martialem occurrit VII 92, 3 in dactylis.

Non minus dignum est, quod commemoretur neutrum *mutŭă,* quod ad verba *petere* X 14, 3 et *rogare* II 30, 1 et

1) Koene, p. 183. Keller, Gramm. Aufsätze p. 198. W. Christ, Metrik p. 103. M. Haupt, opusc. II p. 106 sqq. (p. 109: *Deinde basiorum et basiandi vocabula imprimis amavit Martialis ususque eis multo frequentius quam osculo. Est autem basium fortasse peregrinum, certe Latina stirpe caret, neque tempore valde antiquo in urbanum sermonem receptum esse videtur, aliter enim Plautus vix eo abstinuisset. Sed postremis linguae Latinae temporibus in ore vulgi praevaluisse inde certo colligitur, quod in eas linguas quae ex Latina natae sunt, migravit*). Baehrens, Comm. Cat. p. 96.

2) Bednara, Archiv XIV p. 598.

3) cf. Cat. 68 b, 87: *bāsĭă decerpere.*

4) Norden, Comm. Verg. p. 158.

5) Woelfflin, Die Verba frequentativa u. intensiva, Arch. IV p. 220. Idem, Arch. XI p. 507.

6) Norden, l. c.

VI 20, 1 positum remedium tulit verbo in versu Phalaecio VIII 16, 3 admisso *mūtŭārī*[1]).

Quoniam exposuimus, qua ratione Martialis finxerit periphrases, quae faverent metro dactylico, operae pretium facere nobis videmur inquirentes, quomodo, quae in dactylis circumlocutionibus exprimenda erant, in vers. lyr. singulis vocibus a poeta novatis denotaverit. Ordiamur a verbis desiderativis, quae in universum sermone elatiore epicorum repudiata erant, contra carminibus et iambicis et trochaicis placebant[2]). Igitur in dactylis saepius verbis cenare et nubere notionem desiderandi subnexuit Martialis verborum velle (negat. nolle) et cupere ope: IX 19, 3 in principio hend. *vis cēnārĕ,* XIV 217, 1 *cŭpĭās cēnārĕ,* II 53, 3 *cēnārĕ foris si . . . nōlis,* XI 24, 15 *cēnāre . . . nōn vūlt*; IX 5, 2 *nūbĕrĕ vis*; X 8, 1 *nūbĕrĕ . . . cŭpit.* Sed in sen. XI 77, 3 *cēnātŭrit* et in chol. III 93, 18 *nuptŭrire* invenimus a Martiale novata.

In his quae Martialis normae versuum lyricorum gratia exhibuit duo nobis obviam eunt composita, quae verbi et substantivi coniunctione finxit: *cūnnĭlingus* et *dŏmĭcēnium*[3]). In dactylis semper duo vocabula leguntur velut: *cūnnum . . . lingere* II 84, 3; VII 67, 17; IX 92, 11 (cf. *cūnnōs lacessere* XI 46, 5); *dŏmi . . . cēnāre* II 79, 2; III 50, 10; V 47, 1; V 50, 1; VI 94, 2; XI 24, 15; XII 19, 2. In hend. autem, qui rhythmos iamb. et troch. peterent compositis usus est: *cūnnĭlingus* IV 43, 11; VII 95, 14; XII 59, 10; XII 85, 3; *dŏmĭcēnium* V 78, 1; XII 77, 6.

§ 8. De pronomine reciproco[4]). Desunt in Martialis epigrammatis adverbia *vicissim* et *invicem,* quorum prius dactylici in clausula hexametri ponere consueverant, alterum poetae remedio tmeseos versui aptant, quam neque in universum abhorruisse a lingua Latina neque a poetarum ser-

[1]) Contraria sunt: *credere* VIII 37, 4 — *mūtŭā dare* III 40, 1 et IX 102, 2.

[2]) Woelfflin, Die Verba desiderativa, Arch. I p. 408. Stephani, p. 79.

[3]) Stephani, p. 71.

[4]) Thielmann, Der Ersatz des Reciprocums im Lateinischen, Archiv VII p. 343 sqq. (praecipue p. 362, 369, 371). Kuehner, Grammatik II, 1 p. 449—450.

mone permultis exemplis firmatur[1]). Ac ne ea quidem ratio, quae constat praepositione inter (cf. Cat. 109, 2) adhibita, in Martialis libris obvia fit. Contra in deliciis habet Martialis adiectivum *mūtŭus,* quod, postquam a Lucretio hoc sensu in versus introductum erat, omnes dactylici libenter exhibuerunt, cum casus obliqui optime quadrarent in vers. lyr. (cf. Cat. 45, 20 *Mūtŭīs ănĭmīs amant amantur,* Mart. XII 63, 9 *mūtŭōs dolores*), dactyli autem nullam aliam fere formam admitterent[2]) ac neutrum pluralis *mūtŭă,* quod *„tamquam adverbium (= invicem) accedit"*[3]), cf. II 30, 1; III 40, 1; VI 5, 2; VI 20, 1; IX 102, 2; X 14, 3. Contra in exemplis a Thielmanno collectis non inveni adiectivum *ăltĕrnus,* quo Mart. ter in dactyl. sensum reciprocum denotasse mihi videtur: V 38, 10 *ăltĕrnīs . . . sede,* XIV 1, 5 *ăltĕrnas . . . sortes.*

§ 9. Copiosius nobis tractandae sunt periphrases numeralium[4]). Antequam singula aggrediamur, praemonendum est usum circumlocutionum numeralium omnium fere poetarum proprium esse. Nec minus notum est poetas distributiva cardinalibus anteponere solere. Cuius rei causam, ne e longinquo repetamus, exempla monent, quibus docemur, quanti hic quoque metri auctoritas fuerit. Nam quem fugit cardinalia *duodecim* et *quāttŭŏrdecim* omnino dactylicis versibus obsistere ac ne *quāttŭor* et *ūndĕcim* quidem valde placere?

Numeros dŭŏdĕcim et quāttŭŏrdecim Martialis circumiit distributivis *seni* et *septeni* adverbii bis ope multiplicatis: *bīs sēnă* IV 76, 1 et 2, *bīs sēnōs* VII 53, 3, *bīs sēnīs* VII 63, 9; IX 50, 3, *bīs sēnō* XIV 17, 1, *bīs sēptēna* V 27, 3; VI 73, 10. Pro *quāttŭŏr,* quod in chol. III 93, 2, in hend. persaepe I 99, 7; V 2, 5; V 70, 4; VI 8, 1 al. loc. exstat, scripsit in dactylis

[1]) Ploen, p. 12. Draeger II p. 35. Wackernagel, Über ein Gesetz der indogerm. Wortstellung = Indogerm. Forschungen I, Straßburg 1892, p. 406. Bögel, Ein Fall seltener Tmesis, Archiv XV p. 471.

[2]) Semel: X 20, 9 *mūtŭă cūra* ad exemplum Tibulli vel potius Lygdami III 1, 19 usurpatur.

[3]) Baehrens, ad Cat. 50, 6. Friedrich, Comm. Cat. p. 124.

[4]) Koene, p. 240. Brugmann, Die distributiven und die kollektiven Numeralia der indogerm. Sprachen (= Abhandl. der kgl. sächs. Ges. der Wissenschaften XXV, 5), Leipzig 1907, p. 27 sqq.

XII 76, 1 *āerĕ quătērno*[1]), pro *ūndĕcīm* (in hend. II 44, 8) distributivum *ūndēnī* VII 67, 3; X 9, 1. Numero *quīndĕcīm*, qui sensu nativo legitur X 38, 1 in hend., ita Martialis auxilio venit, ut adverbium *quīndĕcĭēs* cum verbo agere coniungeret: X 23, 2 *quīndĕcĭēs āctas* aut, ut ita dicam, hunc unum numerum in duos distraheret: *quīnquĕ dĕcēmque* XIV 192, 2 de metamorphoseon libris Ovidii. Praeterea circumlocutionibus opus erat Martiali pro adverbio *vīcĭēs*, quod in hend. I 99, 1 et XII 77, 10 invenitur, et pro genetivo ordinalis numeri vicēsĭmāē. Atque pro priore scripsit *bīs dĕcĭēs* I 11, 2; I 58, 6; IV 51, 3, pro altero *bīs dĕcĭmāe* VII 65, 1, sane insolenter, cum ordinalia in universum rarissime adverbiorum ope multiplicarentur[2]).

Enclisis particulae -que in numeralium quoque usu magno emolumento est. Nam etiamsi saepius in iterata particula ... que ... que imitationem Graeci illius τε ... τε sentimus[3]) velut in Catulliano illo 66, 40 *tēquĕ tŭūmquĕ caput* per imitationem Callimachei σήν τε καρὴν ὤμοσα σόν τε βίον ficto[4]), tamen in aliis quibusdam exemplis minus vi imitationis quam metri enclisim effectam esse nostro iure dicemus[5]). Coniunctione adverbiorum bis et ter „bīs tērque" semper crebritatis notionem fieri iam Bentleyus ad Horatium adnotavit[6]). Rhythmis dactylicis illud *bīs tērque* gratissimum erat: VI 64, 15; VII, 92, 2; IX 7, 3 In chol. IV 81, 3 Martialis adverbio numerali metro coactus bis particulam que applicavit. Idem fecisse videtur in epigr. XII 77, 10 *dĕcĭēsquĕ vīcĭesque*.

Neque illud silentio praetereundum est, quod Martialis I 99, 6 in hend. rhythmi gratia pro cardinali septem ordinale *sēptĭmus* adhibuit:

Atque intra puto sēptĭmās Kalendas
Mortes hoc tibi quattuor dederunt.

---

1) Poetae saepe distributivorum singulari utuntur, cf. Mart. IV 64, 32 VIII 45, 4. Neue II³ p. 332.

2) Draeger I p. 91.

3) Norden, Comm. p. 130. Christensen, Que-que bei den röm. Hexametrikern, Arch. XV p. 165 sqq. (p. 177).

4) Baehrens, Comm. Cat. adn. ad c. 66, 40.

5) Baehrens, Comm. Cat. adn. ad c. 57, 2.

6) cf. Friedlaenderi notam ad X 1, 3—4.

§ 10. Vt ad finem huius partis perveniamus, eam quoque rationem, qua Martialis quaedam nomina mensium circumscripsit, ad versuum necessitatem refero.

Primum anni mensem — cuius nomen Ianuarius plane deest in epigrammatis — Martialis semper significat ad exemplum Ovidii (fast. I 586) nomine illius dei, a quo mensis nomen accepit. Scripsit igitur pro mense Iānŭārĭō VIII 8, 6: *Mēnsĕ tŭō ... Iāne,* X 41, 1: *Mēnsĕ nŏvō Iānī,* XII 31, 4: *Quodque viret Iānī mēnsĕ* et pro Kalēndīs Iānŭārĭīs VIII 33, 11 et XIII 27, 1: *Iānī ... Kălēndis*[1]). Ad denotandum mensem tertium anni Martialis in hend. V 84, 11; IX 52, 3; X 24, 1 utitur adiectivo *Mārtĭus* (*Mārtĭās* (*-āe*) *Kălēndas,* semper in fine versus hend.), contra in dactylis nomine *Mārs:* X 29, 3 *dīctīs ā Mārtĕ Kălēndīs*, XII 60, 1 *Mārtīs ălūmnĕ dīēs*. Loco ablativi mense Iūnĭō Martialis exhibuit circumlocutionem: *sēxtō mēnse* III 68, 8. Et metro iubenti et ingenio poetico debemus periphrases *cāncrī mēnsĭbŭs* V 71, 2 et *cāncrō fērvēntĕ* X 58, 3 ad significandum mensem Quintilem vel Iūlĭum.

III. Synonymorum usus,

quatenus diversa rhythmorum ratione explicetur hucusque viri docti quaerere plerumque omiserunt. Ac ne nos quidem, postquam Martialis libros perscrutati sumus, omnia similium vocum exempla contulimus, quia versuum auctoritatem non tam numero quam vero gravitate exemplorum confirmandam esse credimus.

§ 11. De substantivorum synonymis. Molestae erant in dactylis partim formae ipsae partim permulti casus verborum fīlĭus, fīlĭa, līběrī. Itaque in rhythmis dactylicis synonyma adhibentur: pro fīlĭus VI 25, 1 *sŭbŏlēs,* pro fīlĭō IV 45, 1 *nātō,* pro fīlĭāē I 114, 3 *nātāē*, pro līběrīs VIII 81, 7 *nātīs*. Sed in vers. lyr. *fīlĭōs* I 84, 2, *līběrōrum* VI 39, 2[2]). — In hend. Martialis casus *prīncĭpūm* (VI 4, 1 *prīncĭpūmque princeps*) et *prīncĭpēs* (VI 42, 7 *prīncĭpēsque Baiae*) collocari potuit, contra in rhythmis dactylicis vocabulum iam in Plauti Bacch. obvium (v. 1053) *prŏcĕrēs* adhibuit VI 64, 9 (*prŏcĕrēs urbisque*

---

1) Koene, p. 210. Cf. Ovid. Fast. I 63.

2) Koene, p. 37 et 51. Bednara, Arch. XIV p. 587.

forique), XII 8, 8 (*Parthorum prŏcĕrēs*)[1]. Sensu congruunt substantiva *mŏdĕrātor* et *tēmpĕrātor*, quorum prius in dactylis II 90, 1, alterum in hend. IV 55, 15 reperimus. Metro postulante Martialis „amaris litibus aptum“ (cf. XII 68, 3) in hend. vocat *ādvŏcātum* X 87, 12[2]), in dactyl. et in hend. initio *cāusĭdĭcūm* I 97, 2; II 64, 1; V 16, 14; VI 8, 2; XI 24, 8.

Angustiae casuum adiectivi *pōstĕrus*, cuius ablativus chol. conveniebat VII 20, 22, cuius nominativus *pōstĕrī* hend. X 19, 16, superantur abstracti ope *pōstĕrĭtās* VII 47, 10. Metrum Phalaecium Martiali permittebat, ut formas *vīpĕrāe* IV 4, 11 et *vīpĕrārum* I 41, 7 insereret, contra dactyli eum cogebant synonymum *sērpēns* X 94, 1 usurpare, cuius usus in aenea latinitate latius patuisse videtur, quoniam in linguas recentiores migravit. Sine sensus discrepantia utuntur poetae vocibus *gaūdĭum* et *lāetĭtĭa,* prout ratio versuum postulat. Posuit igitur Martialis casus *gaūdĭō* I 49, 39; X 78, 8, *gaūdĭūm* I 109, 7; III 64, 2, *gaūdĭōrum* XI 80, 8 in rhythmis lyricis, sed formam *lāetĭtĭāe* VII 6, 9 et VIII 11, 4 in dactylis. Vox *fāstūs* pro supērbĭa iam aetate aurea latinitatis in usu erat[3]). Martialis quoque hoc verbo usus est in dactyl. ipsis: I 70, 13; XI 2, 3 et in hend. principio: IV 46, 5; VII 39, 2; XII 75, 7. Contra accusativus *supērbĭām* XII 75, 6 in altera parte hend. exstat. Synonyma, quibus inest sensus invidendi, in Mart. epigr. leguntur haec: *īnvĭdĭa, āerūgo, līvor*. Casus obliqui difficultates non habent in dactylis: II 61, 5, X 33, 5; I 12, 10, V 10, 3; I 58, 4, VII 47, 7. Sed minus aptus erat nominativus īnvĭdĭă; itaque usurpavit Martialis vocem *līvor* X 33, 6; XI 33, 3[4]).

[1]) Koene, p. 91. Stacey, Die Entwicklung des Livian. Stils, Arch. X p. 76. Lucretius adhibuit etiam pluralem *dūctōrēs* I 87 (cf. Mart. XII 8, 8 *ducesque Serum*), Catullus pluralem *prīmōrēs* 68[b], 47, quem Vergilius quoque aen. IX 309 inseruit.

[2]) Hey, Semasiologie, Arch. IX p. 206.

[3]) Bednara, Arch. XIV p. 589.

[4]) Martialis nominativum *īnvĭdĭă* semel in fine pent. posuit: III 21, 2. Haud raro ibi voces in tribrachyn cadentes inveniuntur: cf. IV 19, 4 *ēndrŏmĭdă*, IV 20, 4 *pūtĭdŭlă*, IV 67, 2 *amīcĭtĭă*, V 33, 2 *caūsĭdĭcĕ*, saepissime verborum tertiae coniugationis infinitivi praesentis: II 64, 4; III 37, 2; III 49, 2; III 70, 4; III 75, 2; III 79, 2; VI 36, 2; VII 77, 2; X 75, 6.

Partem virilem poeta saepissime vocat *mēntŭlă*. Haec sola forma dactylis favet: I 58, 3; II 45, 1 al. loc. Contra ablativus *mēntŭlā* bis in hend. I 35, 5; XI 18, 21; accusativus *mēntŭlām* et in hend. VII 55, 8; XI 15, 10; XI 75, 4 et in chol. IX 27, 2; IX 33, 2. Auxilium ferebant synonyma *pēnis* VI 23, 1; VII 82, 1; XI 74, 1 et neutrum pluralis *īnguĭnă*: III 88, 1; VII 30, 5; VII 58, 4; XI 22, 3. Sed in ablativo occurrit singularis *īnguine*: III 81, 5; XIII 63, 1.

Vox *cāstĭtās,* quam scripsit Horatius in glyconeo c. III 24, 23: *certo foedere cāstĭtās* etiam Martialis non nisi in rhythmos lyricos redigere potuit. In dactylis non minus quattuor synonyma formis incommodis vocis castitas auxilium tulerunt: *pudīcĭtĭa* VI 7, 2; VI 27, 4; X 63, 8, *prŏbĭtas* VIII 46, 1; XI 103, 1[1]), *vīrgĭnĭtās* IV 45, 6; *grăvĭtās* XI 104, 21 *(Si te delectat grăvĭtās, Lucretia toto | Sis licet usque die: Laïda nocte volo).* Pro voce *procācĭtās* in hend. II 41, 17 obvia in dactylis ponitur *nēquĭtĭa* IV 42, 4; IX 67, 2. Plurale tantum *facētĭāe,* quod in hend. legitur X 35, 9 circumitur synonymis *lūsus* V 85, 9; VII 8, 10, *ludībrĭum* X 4, 7 (neutr. plur.), *sal* VI 44, 2; VIII 3, 19; XIII 1, 4. Ad carmina breviora denotanda iam Catullus promiscue, ratione versuum ductus, usus est synonymis *nūgāe* et *inēptĭāe*[2]). Ita Martialis quoque epigrammata vocat in dactylis *nūgās* IV 10, 4: *qui meruit nūgās primus habere meas,* IV 82, 4: *nūgās exigat aure meas,* VI 64, 7: *Has, inquam, nugas . . . non aspernantur proceres urbisque forique,* in vers. lyr. *inēptĭās*:

II 86, 10 *Turpe est difficiles habere nugas*
Et stultus labor est inēptĭārum.

XI 1, 14 *Nostrarum tineas inēptĭārum.*

Supra commemoravi periphrasin *ăpērtă . . . ora* pro plurali oscĭtātĭōnes positam (p. 30); alterum remedium est synonymum *rīctūs,* quod bis invenitur in dactylis: I 104, 17; I 48, 1. Contraria lyricorum et dactylicorum versuum ratio Martialem

[1]) cf. Friedlaenderi adnotat. ad XI 103, 1.

[2]) cf. Catull. in carmine ad Cornelium Nepotem misso I 3 *Namque tu solebas | Meas esse aliquid putare nugas.* XIV[b] *Siqui forte mearum ineptiarum | Lectores eritis.* Cf. Plin. epist. IV 14.

cogebat in hend. et chol. casibus obliquis vocis *ōtĭum*: I 113, 4; III 58, 24; III 67, 9, in dactyl. genetivo *dēsĭdĭāē* X 70, 2 uti[1]). Abhorrent a versibus dactylicis plurales mărĭă et imāgĭnēs. Illam formam, quae non nisi per elisionem ultimae syllabae versibus immitti poterat, circumscripsit et neutro *frĕtum*: l. sp. 28, 2; II 24, 4 et plurali forma *āequŏră*: l. sp. 24, 5; haec in dactylis cessit aut plurali *ōră*: IX 24, 3; IX 76, 1 aut synonymo *ēffĭgĭēs* IX 24, 6[2]). Contra *imāgĭnēs* in hend. V 20, 7. Pro ablativo hĭĕmĕ elisionis evitandae causa arcessivit poeta ablativum *brūmā* IV 57, 9. Dactylis Martialis casus obliquos vocis vīctĭmă inserere non potuit; petivit igitur remedium neutro *sacră* VIII 4, 4[3]). In hend. formam *vīctĭmās* libenter admisit VIII 66, 1. Synonymorum *plūmbĕus* et *quādrāns* Martialis prius in chol. X 74, 4 exhibuit, alterum contra in dactylis: I 59, 1; VI 88, 4; X 70, 14. — Pro forma *nārĭbūs* in hend. VII 95, 10 admissa in dactylico sermone forma brevior *nāsīs* VI 64, 20 usurpantur. Vocis ferculum pluralis *fērcŭlă* optime dactylis convenit: cf. Iuv. I 94. Mart. III 50, 5; IX 81, 3. Sed pro ablativo pluralis poeta scripsit *cēnā* XI 31, 5 et 6 in fine et in princ. hend., cum forma *fērcŭlīs* ipsa in hend. medio XI 31, 21 exstet[4]).

In fine huius partis disserendum est de substantivo *ūmbĭlīcus*, quo Romani fines bacilli, circa quod folia librorum Romanorum circumplicabantur, vocant (Graec. ὀμφαλός)[5]). In vers. lyr. omnes poetae hoc substantivo libenter usi sunt et

[1]) Vollmer, Comm. Stat. Silv. p. 18 et 313.

[2]) Koene, p. 40 et 197. Neue I[3] p. 568.

[3]) Prosodia syllabarum ante mutam cum liquida saepissime fluctuat. Cf. *pătrem* I 42, 4; I 81, 2; V 72, 2; VI 38, 2, sed *pātrem* I 33, 1; *pătris* IV 16, 2, *pātris* VI 25, 8. In vocabulo Graeco: *bărăthro* I 87, 4 (in fine pent.), *bărāthro* III 81, 1 (in fine hex.). Woelfflin, Archiv XI p. 504. Norden, Comm. Verg. p. 317. Ritschl, Opusc. II p. 585.

[4]) Horatius et Vergilius ad exemplum Graeci *τράπεζα* utuntur vocabulo *mensa* (cf. Hor. c. IV 5, 31. Verg. Aen. VIII 283). Marquardt, Privatleben d. Röm. I p. 307.

[5]) Marquardt, Privatl. II p. 793. Birt, Das antike Buchwesen in s. Verhältnis zur Liter., Berlin 1882, p. 16, 151, 290. Vide Baehrensii adnot. ad Cat. c. 22, 8 adscriptam.

Catullus (c. 22, 8 *novi ūmbĭlīci*) et Horatius (ep. 14, 8 *ad ūmbĭlīcum adducere*)[1]) et Statius (Silv. IV 9, 7 *Et binis decoratus ūmbĭlīcis*) et Martialis: I 66, 11; VIII 61, 4 in chol., II 6, 11; III 2, 9; IV 89, 2; V 6, 15 in hend. In rhythm. dactylicis autem, quos quantitas huius vocis plane reformidabat, poetae refugerunt ad pluralem *cōrnŭă*; ita Martialis XI 107, 1 *Explicitum nobis usque ad sua cornua librum*[2]).

§ 12. De adiectivis synonymis. Saepe adiectivis a dactyl. absonis remedia fiunt formis partic. perf. pass. Ponuntur igitur pro adiectivo *dīlĭgēns* (hend. VI 1, 3) partic. *ēxāctus* IX 81, 2, pro *īmprŏbus*[3]) et *īmpĭus* (in hend. I 104, 2; V 60, 2; V 80, 7; XII 18, 13, IV 30, 8, in chol. III 20, 5, III 82, 32; VII 7, 3; X 5, 5; XI 80, 6) in dactylis *scĕlĕrātus* I 101, 6; III 19, 5; IX 15, 1; XI 84, 16; pro adiectivo *sūmptŭōsus* hend. I 99, 11 synonymum *laūtus* III 45, 3; XII 48, 5; XIII 88, 1, pro adi. *glōrĭōsus* hend. XII 8, 7[4]) partic. *tŭmĕfāctus* IV 11, 1, pro ablativo sūpplĭcī partic. *sūbmīssā* (*voce*) VIII 75, 11 et partic. *dēmīssō* (*vultu*) I 68, 7. Contra accusativus *sūpplĭcēs* in hend. obvius X 72, 6, genetivus *sūpplĭcīs* in chol. X 5, 13.

Cum brevior forma *īnquĭētus* solis iambis trochaeisque faveret (IV 55, 14; V 80, 10; XII 18, 1 in hend.; X 5, 15; X 30, 3 in chol.) interposuit Mart. inter praepositionem in et verbi stirpem praefixum scribens *īnrĕquĭētus* IV 78, 4, quam formam iam Ovidius adhibuerat (met. XIII 730, trist. II 2, 36) et Statius quoque Silv. carm. V 1, 187 inseruit.

Abundant epigrammata Martialis synonymis, quae significant obscaenos et pravos mores. Occurrunt enim adiectiva *īmpŭdīcus, lībīdĭnōsus, īmprŏbus, īncēstus, lāscīvus, ōbscāenus, lūxŭrĭōsus.* Partem priorem horum adiectivorum poetam in vers. lyr. posuisse (cf. III 20, 16, XII 32, 16; IV 55, 6, XII 43, 1; V 78, 26), posteriorem autem dactylicis (cf. XIV 75, 1; III 86, 1, IV 57, 1, V 7, 7 cet. loc.; IV 43, 3, VI 50, 3 —

[1]) cf. Kiesslingii ad hunc locum adnotationem.

[2]) cf. Tibull. III 1, 13 (Lygd.). Ovid. trist. I 1, 8.

[3]) Sensu non obscaeno.

[4]) Hey, Archiv IX p. 226.

VII 91, 4, IX 67, 6) inseruisse consentaneum est. Praeterea adiectivi Graeci *păthĭcos* (παθικὸς) superlativus *păthĭcissĭmōs* in hend. XII 95, 1[1]) et comparativus *ĭnquĭnātior* XI 61, 2[2]) in chol. recepti sunt. — Adiectivum *ărrŏgāns* (in hend. V 8, 11) in dactyl. cedit similibus *fāstōsus* X 13, 7 et *ămbĭtĭōsus* XII 68, 2, quorum prius in sermone Latino haud saepe legitur (cf. Friedlaend. adn. ad X 13, 7 adscriptam). — Homines laboribus operam dantes in hend. XI 106, 3 *lăbōrĭōsos* vel *ŏccŭpātos* VII 97, 4; XI 106, 2, in chol. *nĕgōtĭōsos* X 30, 27, in dactylis autem *stŭdĭōsos* poeta laudat III 68, 12; XIV 185, 1. Hominem laborum fugientem in vers. lyr. vituperat *ōtĭōsum* II 37, 9, V 20, 3; III 20, 8, in sermone dactylico *dēsĭdĭōsum* I 107, 2; XII 26, 2.

Adiectivum *ĭndĕcēns,* quod semel in hend. XII 22, 1 obviam fit, ter in chol. II 11, 4; V 37, 12; VII 20, 11, auxilium tulit Martialis adhibitis adiectivis *dĕfōrmis* VII 75, 1; XI 99, 7, *ĭncōmptus* I 24, 1, *fōrmōsus* cum comparativo *minus* coniuncto in principio hend. VIII 53, 4 (cum particula negativa *non* in illo epigrammate, quod Martiali tribuendum esse Schneidewinus negat III 3, 2[3]). Pro molestis formis adiectivi paŭpĕr dactylis immisit poeta adiectivum *inops* XI 84, 7 nullo sensus discrimine. Contra leguntur formae *paŭpĕrēs* V 41, 6; XII 15, 10 et *paŭpĕrī* XII 57, 4 in hend. et chol.

Supra iam remedia adiectivorum in suffixum -ĭdo cadentium quorum terminationem longa syllaba antecedit, cognovimus. Synonymis tolluntur incommoda horum adiectivorum: *cāndĭdus, ārĭdus, sōrdĭdus, hōrrĭdus.* Pro adiectivo cāndĭdus ad senectutem denotandam posito (in hend. VII 89, 3) in dactyl. legimus *cānus* IV 36, 1; IV 53, 3. Sed discrimen, quod viri docti statuerunt inter adiectiva c ā n d ĭ d u s et ā l b u s[4]) e poetarum exemplis vix confirmari poterit. Martialis, ut eius utar exemplis, vocibus vultus et facies, in quibus discrepantia

[1]) Cat. c. 57, 2: *Mamurrae păthĭcōque* et c. 16, 2: *Aureli păthĭce.*

[2]) Cat. 33, 3: *Nam dextra pater ĭnquĭnātiōre.*

[3]) cf. quae adnotavit Friedlaender ad hunc locum.

[4]) Bluemner, Farbenbezeichnungen bei den röm. Dichtern, Philol. (Nova series) II p 142 et 706.

non est, adiectiva cāndĭdus et ālbus promiscue adiunxit rationem versuum sequens: in chol. VI 39, 12 vultum dicit *cāndĭdŭm,* in dactyl. faciem *ālbam* IV 78, 2[1]). Similiter *ārĭdus* in hend. VI 42, 17; VIII 64, 6, *sĭccus* in dactyl. IV 10, 2; X 20, 7 exstant[2]). Adiectivis *hōrrĭdus*[3]) et *sōrdĭdus*[4]) (et *squālĭdus*) auxilium ferunt synonyma *hĭrsūtus* VII 58, 8; X 65, 9, *ĭmmūndus* I 92, 10, *spūrcus* I 34, 8, *ĭncūltus* IV 66, 10.

Et sic alia quaedam synonyma rationibus metricis explicantur velut *tēmpĕrātus* X 30, 1 in chol. — *mŏdĭcus* XII 29, 15 in hex., *dēlĭcātus* IV 55, 27 in hend. — *lĕpĭdus* XII 44, 5 in hex., *pērfĭdus* IV 14, 3 in hend., VII 7, 4 in chol. — *pĕrĭūrus* XIII 66, 1 in dactyl., *pĕrīcŭlōsus* I 27, 6 et III 44, 5 in hend. — *pērnĭcĭōsus* VII 87, 5 et *ĭnsĭdĭōsus* XIV 20, 1 in hex., *rūstĭcus* IX 42, 9 in hend. — *ăgrēstis* III 24, 4 in pentametro.

In fine, ad quem progressi sumus, silentio praeterire nolo Martialem pro forma ŏmnĭbŭs, quae ante consonantem facile oriebatur, in usum vocasse aut adiectivum *cūnctus* (l. sp. 1, 8; IX 79, 4; XI 84, 17) aut *tōtus* (I 19, 3; XI 86, 5). Prosodia *ōmnĭbŭs* septies servata est l. sp. 12, 6; I 40, 2; I 86, 4; V 24, 2; VI 44, 3; VII 82, 2; VIII 50, 2; contra prosodia cretica orta est in hend. decies: I 109, 3; II 41, 3 et 4; V 12, 3; V 44, 6; VII 97, 13; IX 90, 4; X 24, 2; X 67, 5; XI 15, 4, in chol. ter: III 82, 14; X 30, 4; XII 65, 2, in sen. XI 59, 1 et XI 77, 1. Remedium e plurali *totis* petitum mentione mihi dignum videtur esse, cum ex usu adiectivi totus, quod in posteriore latinitate valde florebat, usum linguarum recentiorum (cf. francog. tout ital. tutto) expedire possimus[5]).

§ 13. D e v e r b i s s y n o n y m i s. Hic quoque satis habemus gravissima exempla attulisse. Pro verbo *cōmpărāre,* quod in chol. III 93, 6 (*cōmpărāta*) et in hend. X 19, 17 (infin.), IV

[1]) cf. Iuven. II 112 *crine ālbō* et Mart. VII 89, 3 *cāndĭdās comas.*

[2]) Catullus exhibet 64, 316 deminutivum *ārĭdŭlus.*

[3]) cf. X 62, 8; X 92, 6.

[4]) cf. I 49, 28; III 58, 12; X 98, 8. — Vergilius usus est participio quoque: *hōrrēns* georg. III 315, *squālēns* georg. II 348, aen. II 277.

[5]) Schmalz, Synt. p. 479. Vollmoeller, Krit. Jahresbericht über die Fortschritte der roman. Philol. VI, 1 p. 80.

39, 1 (*cōmpărāsti*) obvium, in dactylis usurpatur verbum *cōnfĕrre*: II 71, 5 (*cōnlāta*) IV 11, 10 *tibi cōnlātus*. Metri vis porro effecit, ut in hend. poeta adhiberet verbum *cōnvĕnīre* VIII 35, 3, contra in dactyl. synonymum *cōncŭrrere* l. sp. 29, 5; IV 35, 1; IV 74, 3. Neque aliter iudicamus de synonymis: *īntĕrīre* in hend. VIII 38, 10 — *pĕrīre* in dactyl. I 18, 7; V 64, 6, *sēpărāre* VI 70, 10 in hend. — *dīsiŭngere* II 5, 3 in dactyl., *praetĕrīre* XI 13, 2 in hend. — *trānsīre* VI 65, 6 in pent., *pērnĕgāre* IV 81, 5 in chol. et V 60, 3 in hend. — *īnfĭtĭāri* IX 99, 3 in dactyl. Metro adductus Martialis verba *vāpŭlāre* X 62, 9 *pērsĕvērāre* VIII 38, 5 *cōmpŭtāre* VI 70, 7 versibus Phalaeciis immisit, contra similia *lăcĕrāre* V 67, 6 *pērgĕre* XIV 163, 1 *nŭmĕrāre* VII 65, 1 rhythmis dactylicis. Non minus versuum auctoritati subacta erant verba synonyma *pōstŭlāre* VI 19, 4 in hend. et *pōscĕrĕ* VII 60, 4 in dactylica parte hend., *īmpĕrāre* XI 40, 2 in hend. — *iŭbēre* V 64, 5 et cet. loc. in dactylis. Verba *glōrĭāri* et (*se*) *iactare* iam in Ciri carmine et apud Vergilium, apud incertum auctorem, qui ad Herennium scripsit, et Ciceronem synonyma sunt[1]). Martialis, cum metrum exigeret, prius verbum vers. lyr. inseruit (cf. X 92, 2; XII 36, 11), dactylis autem alterum (cf. l. sp. 1, 2). Verbum *līvēre* Martialis demum temporibus eodem sensu usurpatum videtur esse quo *invīdēre*, cum praeter eius epigrammata illud soli Tacitus (ann. XIII 42) et Statius (Silv. I 2, 150; Theb. XI 2, 11) receperint[2]). Martiali valde placebat hoc verbum in dactylis VIII 28, 9; IX 23, 5; X 12, 10, cum auxilium ferret formis dactylis refragantibus verbi invīdēre, cf. I 113, 4 et II 74, 4 (chol.).

Restat ut nonnulla addamus participiorum synonyma: Sensu congruunt partic. praes. *āestŭāns* et *fērvēns*: illud legitur in chol. III 20, 19; III 82, 10, hoc in dactyl. X 58, 3.

---

[1]) Cir. v. 208 (cf. Skutsch, Gallus und Vergil, Aus Vergils Frühzeit, 2. Teil, Leipz. u. Berlin 1906, p. 41 sqq.). Verg. aen. VI 878, ecl. VI 73. Auct. ad Her. 4, 2: *Magnifice se iactat atque ostentat*. Cic. orat. 2, 52: *intolerantius se iactare.*

[2]) Draeger, Annalen des Tacitus, 1887, adn. ad XIII 42: „*Livere statt invidere ist bei Tacitus ἅπαξ εἰρημένον und findet sich nur noch bei Martial und Statius.*“ Sed livor = invidia iam aetate superiore exstat. Cf. Cic. ad fam. XI 10. Ovid. am. I 15, 1.

Porro in usu sunt pro *mŏrtŭus* (contra *mŏrtŭă* in dactyl. III 32, 2) partic. *dēfūnctus* IV 73, 5; VIII 57, 5[1]), pro *īnquĭnātus* IV 4, 6 (in hend.) partic. *ōblītus* VI 93, 9.

IV. De deminutivis metrorum vi versibus immissis.

§ 14. Antequam materiae ipsi operam damus liceat praefari deminutivorum usum non poetarum proprium esse, immo vero sermonem cotidianum et libris prosae orationis scriptorum, qui sermonem vulgarem et familiarem in deliciis habent, deminutivis esse refertos[2]). Vix igitur mirum quod Horatius formis deminutive fictis magis in satiris quam in carminibus, Vergilius magis in eclogis quam in Aeneidos libris, Catullus magis in brevibus carminibus, quae ipse vocat nugas aut ineptias (cf. p. 37.) quam in doctis usi sunt[3]).

Sed ut iam antiquioribus linguae Latinae temporibus interdum vox deminutiva sensu deminutionis carebat[4]), ita etiam in posteriore latinitate saepius deminutivum verbum simplex oppressisse videtur, cum formae linguarum Romanicarum aliter intellegi non possint[5]). Poetae autem, imprimis cantores, qui dicuntur Euphorionis, formis deminutivis interdum libenter utebantur quoad ipsorum et metri legibus convenirent[6]). Martialis quoque, qui neotericos studiose imitatur, quod hoc cotidianae consuetudinis genus tantopere adamavit, non est, cur stupeamus, praesertim cum non ignoremus, in eius epigrammatis maxime illius imitationem praevaluisse, quem in deminutivis arcessendis et novandis fertilissimum esse omnes consentiunt[7]). In Martialis carminibus haec deminutiva e versuum contrariis rhythmis fluxisse credo:

---

[1]) Norden, Comm. Verg. p. 218.

[2]) G. Mueller, De linguae Latinae deminutivis, Lips. 1865. Woelfflin, Bemerkungen über das Vulgärlatein, Philol. XXXIV (1876) p. 153. Zimmermann, Versuch einer Erklärung lat. Gentilsuffixe, Archiv XIV p. 423. Baehrens, Comm. Cat. proleg. p. 18.

[3]) Baehrens, Comm. p. 48. [4]) Lindsay, Lat. Sprache p. 380.

[5]) Ploen, p. 67. Lindsay, l. c. Woelfflin, Moderne Lexikographie, Arch. XII p. 389. Skutsch, Lat. Sprache (= Kultur d. Gegenwart I, 8[2]) p. 466.

[6]) Skutsch, Gallus und Vergil p. 4.

[7]) Paukstadt, De Mart. Catulli imitatore, Halis 1876. M. Haupt, Quaestiones criticae, Opusc. I p. 87.

§ 15. **Substantiva.** a) **In rhythmis dactylicis.** In altero hemistichio pent. II 46, 4 Martialis contra sensum scripsit *ărcŭlă* pro arca, ut dactylos efficeret. Recte Stephani[1]) etiam deminutivum *āncīllārĭōlus* XII 58, 1 metri causa usurpatum esse pro forma simplici indicat. Eadem de causa, fortasse etiam ad fingendam responsionem, quam in deliciis habet Martialis poeta satiricus[2]), ancillam lecticarios amantem deminutive vocat *lēctīcārĭōlām* pro lecticārĭām in pentametro distichi commemorati. Porro ne illud quidem redargui potest, quod censet idem Stephani[3]), semel dicta illa *pānārĭōlum* V 49, 10 et *sēllārĭōlă* V 70. 3 metri necessitate Martiali extorta esse, cum formae panārĭīs et sellārĭīs a principio versus Phalaecii plane fuerint absonae. Contra a Stephanio dissentiens putaverim in deminutivo *sestērtĭōlum* quoque vim metri dactylici non plane negandam esse I 58, 5[4]). In una illa voce, quam hic adnectamus, *lapis,* poeta, nisi synonymum quoddam usurpare malebat, coactus erat pro dativo et ablativo pluralis lăpĭdĭbus in dactylis deminutivum exhibere *lăpīllus,* sive sensu postulabatur sive non: cf. VIII 64, 6; IX 2, 9; IX 13, 5; IX 52, 5.

b) **Deminutiva iamborum vel trochaeorum gratia formata.** Certo vis versuum lyricorum cognoscitur ex deminutivo *thērmŭlae* VI 42, 1, quod extra Martialis epigrammata nusquam inveniri Stephani testis est[5]). Arcessivit poeta deminutivam formam pro simplici thērmāe, quamquam sensus vetabat clara Claudii Etrusci balnea, quae propter magnitudinem et pulchritudinem Statius quoque aequalis Silvarum „*carmine molli*" I 5 celebravit, deminutivo significari[6]). Neque dubito, quin non modo sensus, sed etiam ratio vers. hend. et chol. Martiali persuaserit, ut deminutivum *togātŭlus* exhiberet X 74, 3; XI 24, 11. In dactylis semper legimus *togātus* I 108, 7 (Iuv. III, 127) vel *turba togāta*: VI 48, 1 (Iuv. I 96).

[1]) p. 77.
[2]) cf. l. sp. 16; I 5; I 9; I 47; I 91; III 61; IV 20, 4 al. loc. Cf. Friedrich, Comm. Cat. p. 96 et 423.
[3]) p. 76.
[4]) p. 75.
[5]) ibid.
[6]) Friedlaender, Sittengeschichte I p. 98.

§ 16. **De adiectivorum deminutivis.** A prosae orationis scriptoribus (Liv.[1]) Plin.[2])) nummus ex auro constans vocatur „aureus"[3]). Sed cum formae aurĕōs et aurĕīs dactylis obstarent, Martialis arcessivit deminutivum *aurĕŏlus* IX 4, 1: *aurĕŏlīs*; V 19, 14, IX 4, 3 *aurĕŏlōs.* Suffixum deminutivum -lo-, ut auxilium ferebat adiectivis aurĕus, lignĕus, aliis[4]), ita angustias adiectivorum in terminationem -idus quoque cadentium, quorum stirpes productae sunt, de medio sustulit. Neque immerito dicere nobis videmur Catullum hoc in usu ceteros omnes aliquanto superavisse[5]). Paene miramur, quod Martialis non plus duobus locis metri causa deminutiva adiectivorum recepit. Nam *hōrrĭdŭlus*[6]) scripsit, quamquam sensui forma simplex satisfacit X 98, 9 (*hōrrĭdŭlos*), contra *hōrrĭdī* X 92, 6 et *hōrrĭdīs* X 62, 8 in chol. Item pro rāncĭdō metro iubente *rāncĭdŭlo* VII 34, 7 in dactylica parte hend. Magis soni et responsionis gratia quam metri IV 20, 4 deminutivum *pūtĭdŭlă* pro pūtĭdă in fine pentametri positum esse mihi videtur.

V. De verborum usu metro commutato.

Quoniam supra diximus de periphrasibus verborum deque synonymis, nunc exponemus, qua arte et ratione Martialis

1. **verbis compositis metrum fugientibus auxilium tulerit praefixis demptis,**
2. **verbis simplicibus formis frequentative fictis auxilio venerit.**

§ 17. **De simplici verbi forma loco compositae exhibita**[7]). Verba simplicia a iambis ordientia non raro praefixis quantitatem adipiscuntur, quae in rhythmis dactyl. tolerari non potest. Quam ob rem poetae nonnunquam refugiunt ad formas simplices. Recte enim, etiamsi e nonnullis comoediarum Plautinarum exemplis cottidianam quoque con-

[1]) XXXVIII 11, 8. [2]) N. H. 37, 6.
[3]) Hultsch, Griech. u. röm. Metrologie[2], Berlin 1892, p. 302 sqq.
[4]) cf. p. 30 huius opusculi. Schwede, p. 10.
[5]) M. Haupt, Quaest. criticae, Opusc. I p. 87.
[6]) cf. Lucil. 524 M: hōrrĭdŭlum (caput).
[7]) Bednara, Arch. XIV p. 597. Draeger, Synt. I p. 116.

suetudinem et e Vergilii locis quibusdam sermonem ritualem[1]) usui simplicium pro compositis interdum favisse concludere possumus, Draeger[2]): „*Das Versbedürfnis*“, inquit „*wird nun die klassischen Dichter veranlaßt haben, in dieser Richtung weiterzugehen*“. Certe in compluribus verbis vis et auctoritas metri agnoscendae sunt[3]). In Martialis epigrammatis, quamquam non multa, tamen non ingrata huius usus exempla investigavimus, quorum gravissima haec esse puto:

Praefixum con- (cum-), quod apud verba gĕlāre, săcrāre, tĕgere prosodiam versibus lyr. accommodatam effecit — cf. XI 98, 7 chol. *cōngĕlāti*, XII 67, 3 hend. *cōnsĕcrāvit*, XII 45, 1 hend. *cōntĕgēnti* — Martialis omisit in dactylicis: V 9, 3 *gĕlātae manus*, I 116, 1 *săcrāvit*, XI 52, 8 *tĕgānt*, XI 29, 11 *tĕgāris*.

Faenius Telesphorus prata *tĕnēt* I 114, 2, non ŏbtĭnēt. Simili modo Martialis in vers. lyr. composita collocavit *āppărāre* I 99, 12 (*āppărās*) et *āpprŏbāre* VI 66, 5, in dactylis simplicia: *părāre* VII 56, 3 (*părābit*), XIV 217, 2 (*părāta*), *prŏbāre* I 12, 12 (infin.), IV 16, 3 (*prŏbāri*), IV 75, 8 (*prŏbāndus*), X 34, 6 (infin.).

Neque ad alteram particulam transeamus, priusquam attulerimus simplex *cupere* pro incohativo praefixo cum- amplificato *cōncŭpīscere* positum, quorum usus item metricis rationibus subactus est. Legimus enim in chol. X 74, 12 *cōncŭpīscam* et X 3, 8 *cōncŭpīscat,* contra in dactyl. *cŭpĭām* XI 67, 2 et *cŭpĭāt* VII 18, 3 et 42, 1, in secunda parte hend. *cōncŭpīscit* et *cōncŭpīscunt* II 68, 6 et 7, in priori *cŭpĭūnt* X 35, 2 et 4.

Quodsi nunc respicimus hunc usum, qualis sit in prosaicorum scriptorum libris, non miramur scriptores qui proxime accedunt ad poetarum sermonem, dico Tacitum[4]) et Livium, quem praecipue in libris primae decadis imitatum esse dictionem poeticum[5]) scimus, hoc dicendi genus tam libenter ascivisse[6]).

---

[1]) Norden, Comm. p. 186. [2]) Draeger, l. c.

[3]) Vetustissimum exemplum verbum tŭēri pro intŭēri positum videtur esse (Draeger, l. c.). Cf. Catull. 66, 89. (Vide Baehrensii notam ad hunc locum adscriptam.) Norden, Comm. p. 220, 236, 366.

[4]) Draeger I p. 117.

[5]) Stacey, Archiv XI p. 509.

[6]) Kuehnast, Hauptpunkte der Livian. Syntax², Berlin 1872, p. 332.

§ 18. **Frequentativorum vel intensivorum usum** omnibus linguae Latinae temporibus viguisse nemo ignorat[1]).

Postquam in aurea latinitate intensiva aliquo modo e consuetudine vulgari repulsa sunt, posterioribus saeculis eorum usus revixit, immo grammatica arte ut ita dicam comparativa docemur tum permulta simplicia intensivis omnino oppressa esse, cum e linguis Romanicis solum frequentativa enucleari possint[2]). Poetas sermone cottidiano adiutos nihil impedivit, quominus ad difficultates metricas reiciendas formas intensivas vel frequentativas sensu verborum nativorum admitterent.

Martialis adhibuit *cāntāre* VIII 3, 21 et XI 3, 5 pro cănĕrĕ, *cāptārĕ* l. sp. 11, 6 pro căpĕrĕ. Suffixi -ito- ope Romani finxerunt frequentativum *dōrmītārĕ*, quod Martialis in dactylis pro nativo usurpavit: VIII 59, 11 *dōrmītāntem* pro dōrmĭēntem. Contra in chol. X 62, 11 *dōrmĭānt,* in dim. I 49, 36 *dōrmĭēs*, in fine hend. I 106, 10 *dōrmĭēndum*[3]) occurrunt.

Lyricorum rhythmorum gratia Martialis in usum vocasse videtur intensiva *āctĭtāre* et *clāmĭtāre* (I 17, 1 hend.: *Cogit me Titus āctĭtare causas.* — I 52, 8 hend.: *Hoc si terque quaterque clāmĭtāris,* X 5, 8 chol. *clāmĭtētque*). Etiamsi non negamus sensum verbi formae frequentativae favisse, neglegendum non est Martialem in rebus metricis sane elegantem frequentativa commodiora in iambis et trochaeis praetulisse periphrasibus molestioribus, quarum ope sensum intensivum in dactylis effecit: I 79, 1 *Semper agis causas . . .* I 95, 1 *Quod clamas semper . . .* Accedit, quod in epigr. X 5, 8 simplex forma et intensiva promiscue exstant. Hac quoque in re Livius ad summam frequentiam progressus est imitatione poetarum impulsus[4]).

---

[1]) Woelfflin, Die Verba frequent. u. intens., Arch. IV, 1887, p. 205. Ploen, p. 79. Stephani, p. 78.

[2]) Lindsay, Latein. Sprache p. 554. Woelfflin, Moderne Lexikographie, Arch. XII p. 389.

[3]) cf. Cat. 5, 6: *Nox est perpetua una dormienda.*

[4]) Kuehnast, Livian. Syntax p. 343.

VI. De metonymia metri causa in usum vocata.

§ 19. Metonymiae usum, quem studiis mythologicis poetarum doctorum aliquanto amplificatum esse putaverim, poetis non ingratum fuisse consentaneum est.

Magna pars vocum metonymice adhibitarum exemplis Graecorum debetur[1]). Neque tamen raro cognoscimus metonymias non tam ex ingenio vel arte poetarum ipsorum ad sermonis ornatum, quam ex ipsa versuum necessitate ad rhythmos idoneos fingendos emanavisse. Sed convertamus nos ad rem ipsam[2]). Metri gratia Martialis versibus immiscuit metonymias has:

Pro forma vīctōrĭāe scripsit V 31, 7 *pālmāe* per metonymiam saepius in Ciceronis operibus obviam[3]). Contra nominat. *vīctōrĭă* VIII 78, 1 in V. pede hex.[4]). Pro plurali *nūptĭāe* — haec forma XII 65, 8 in chol., forma *nūptĭās* I 10, 1 in chol., VI 8, 3 in hend. exstat — ponitur vox *tāeda*[5]) IV 13, 2; pro plurali tēssĕrāe legitur *ĕbur* XIII 1, 6[6]). Formis incommodis vocis pecūnĭa auxilium fert vocabulum *āes* metonymice dictum: *āerĕ* pro pecūnĭā VI 27, 6[7]). Insolenter paulum mihi videtur esse adhibitum neutrum pluralis *pōndĕră* pro accusativo auctōrĭtātem IX 47, 7 in V. pede hex. In versibus epigr. XI 20 imperatori Augusto tribuendis (v. 8) nominativus *mēntŭlă* legitur metonymice pro vocabulo molesto cāstĭtās[8]). Longe plurima remedia exstant in voce *pūrpŭra*.

1) M. Haupt, opusc. II 34; 169.

2) cf. Friedlaenderi adn. ad l. sp. 12, 1; I 15, 7; II 36, 3; III 82, 22; X 48, 4.

3) cf. pro Rosc. Am. 6, 17: *Alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur.* Ad Att. 4, 15: *Ne diutius pendeas, palmam tulit.*

4) Koene, p. 53. Cf. Martialis *laūrus* et *vīctrīcēm laūrum*: VII 6, 10; VIII 50, 5; VIII 78, 16; IX 35, 6.

5) Koene, ibidem. Norden, Comm. p. 285. Cf. Cat. 64, 302 et 335. Statius novavit formam *nūptūs*: Schamberger, p. 269.

6) Marquardt, Privatleben II p. 824.

7) Contra *pecūnĭă* in hex. XI 70, 7. Cf. Baehrensii notam ad Cat. 10, 8 adscriptam. Pro accusativo pecūnĭām bis usurpatur accusativus *nūmmōs* IX 46, 5 et XIV 219, 1. Hey, Archiv IX p. 201.

8) Teuffel-Schwabe, Literaturgeschichte[5] p. 220. Cf. quae adnotavit Friedlaender ad hoc epigr.

Ablativo *pūrpŭrā*, qui in hend. I 117, 16 et V 6, 14, in chol. X 30, 15 invenitur, auxilio venerunt voces *mūrex*[1]): VIII 48, 5 *mūrĭcĕ* et *ōstrum*: XII 38, 3 *ōstrō*[2]). Etiam nomina propria usurpavit Martialis scribens pro ablativo pūrpŭrā: *Sīndŏnĕ* II 16, 3, pro accusativo pūrpŭrām: *Tȳrŏn* II 29, 3. — Iam progressi sumus ad metonymiae figuras nominum propriorum ope formatas. Ad exempla commemorata addamus nomen *Dīāna*, cuius genetivus *Dīānāe* metonymice positus est pro forma a dactylis absona venātĭōnis l. sp. 12, 1 (Vide Friedlaenderi notam).

Pro ablativo ŏpĕrĕ vel ŏpĕrĭbus Mentoris Martialis XI 11, 5 arcessivit metonymia quadam, quam etiam in nostra lingua adhibemus, accusativum nominis *Mentŏră*[3]).

VII. De nominum propriorum usu[4]).

§ 20. Haud scio an nullus poeta Romanus tantam copiam nominum propriorum usurpaverit quantam Martialis.

Neque, cur res ita se habeat, latet, cum Martialis poeta satiricus non tam vitia ipsa quam personas quasdam malis facinoribus indulgentes sive nominibus veris, quod rarissimum est, sive fictis prostituerit[5]). Metrum in nominibus fictis nullas parabat difficultates, cum, id quod recte observavit Friedlaender, poeta non idem nomen in eodem genere stultitiae et vitiorum ubique exhiberet, sed aptius nomen eligeret, prout versuum ratio eum impulit[6]). Sed etiam in nominibus personarum verarum adhibendis poetam remedia formarum molestarum non defecerunt.

1) Bednara, Arch. XIV p. 588.

2) Koene, p. 53.

3) Respicias terminationem Graecam (Mēntŏră pro Mēntŏrēm)!

4) Friedlaender in praef. edit. p. 21—23. P. Giese, De personis a Martiale commemoratis, Gryphiswaldiae 1872.

5) Non raro fit, ut a Martiale nomine quodam persona ficta castigetur, quo Catullus personam veram nominaverat. Cf. Baehrens, Comm. Cat. p. 133.

6) cf. praef. Friedlaenderi in edit. p. 21. Similis est in hac re Horatii ratio, qui in carminibus nomina musarum novem promiscue ac sine discrimine usurpavit, prout nomen quoddam optime in metrum quadrabat. Cf. quae Kiesling adnotavit ad c. III 4, 1.

1) Poeta, cuius carmina tractamus, in epigrammatis rhythm. lyr., maxime in vers. Phalaeciis, ipse se vocavit cognomine *Mārtĭālis* (chol. X 92, 15 — hend. I 1, 2; I 117, 17; VI 82, 4; VII 72, 16; X 9, 3 semper in clausula). Contra in epigrammatis dactyl. cognomen metri causa cessit praenomini *Mārcus,* quod occurrit locis his: I 5, 2; I 55, 1; III 5, 10; V 29, 2; V 63, 1; VI 47, 6.

2) Saepissime commutatio nominis gentilis et cognominis fit. Nam cum in nominibus gentiliciis, quae semper fere suffixi -ius ope formata esse satis constat[1]), terminationem persaepe antecederet syllaba producta[2]), casus obliqui metrum dactylicum valde fugiebant. Poetis auxilio venerunt cognomina, quae in universum multo aptiora erant quam praenomina, cum in his non tanta esset varietas et frequentia, ut personae, quibus idem erat praenomen, disiungi possent. Gravissima exempla enumeramus haec:

Cum casus gentiliciorum dactylis resisterent, Martialis scripsit pro *Tūllĭō,* quae forma chol. commoda erat V 51, 5: *Cĭcĕronĕ* III 38, 3 et V 69, 2, pro Horātĭō cognominis ope *Flaccō* I 107, 4 et XII 4, 1. Etiam pro nominativo Sallūstĭŭs in dactyl. XIV 191, 2 cognomen *Crispus* positum est. Eodem modo in vers. lyr. nomen gentile: *Cănĭŭs* I 61, 9; III 20, 1; III 64, 6 in chol., I 69, 2 in hend., in dactylico autem sermone cognomen *Rufus* II 84, 4; III 94, 2; III 100, 1 adhibetur. Sed in dactyl. vocativus quoque *Cani* VII 69, 1. Accusativus gentilis *Cāesĭūm* hend. VII 97, 1 placebat; sed pro Cāesĭō in dactyl. adhibuit poeta cognomen *Săbīnō* IX 60, 5.

Cognomen etiam gentili Ŏvĭdĭus remedium tulit. Nam sola forma Ŏvĭdi dactylis satis faciebat[3]). Pro ceteris casibus gentilis usurpantur formae cognominis: *Nasōnes* pro Ŏvĭdĭōs

[1]) Mommsen, Röm. Forsch. I p. 107. Marquardt, Privatleben I p. 9. W. Schulze, Zur Geschichte lateinischer Eigennamen (Abhandl. d. kgl. Ges. d. W. in Göttingen, N. F. V, 5), Berlin 1904, p. 17 et 467.

[2]) cf. *Acilĭus, Aēlĭus, Ānnĭus, Cāelĭus, Canĭus, Cāesĭus, Cāssĭus, Claūdĭus, Cornēlĭus, Fulvĭus, Furĭus, Herēnnĭus, Instāntĭus, Iulĭus, Iūnĭus, Lōllĭus, Manīlĭus, Mānlĭus, Mēmmĭus, Mucĭus, Opīmĭus, Tullĭus,* alia gentilicia.

[3]) Genet. nominis poetae deest. Sed exstat genet. nominis clientis cuiusdam Quintus Ovidius: Ŏvīdi I 105, 1; VII 44, 1.

III 38, 10[1]), *Nasōnēm* pro Ŏvĭdĭūm V 10, 10; XII 44, 6. Contra nominis Vērgĭlĭus omnes casus valde conveniebant dactylis praeter genet. et vocat. Vērgĭlī. Quam ob rem cognomen adhibetur *Mărōnīs* III 38, 8; V 5, 8; V II 63, 5; XI 48, 1; XIV 185, 1.

3) Restat ut nonnulla adiungamus de accusativo Cāstŏră I 70, 3[2]). Apud Graecos[3]) enim et Romanos saepius formae plurali unius vocis vel nominis duplex quasi sensus inest. Plurali parentes significamus patrem et matrem, plurali Cereres Cererem ipsum et Proserpinam (C. J. L. X 1585), plurali Castores dioscuros[4]). Itaque rectissime Romani templum dioscurorum vocabant „templum Castorum“[5]). Si quis quaesiverit, quare permotus Martialis in epigr. I 70, 3 singularem *vīcīnum Cāstŏră* versibus inseruerit, non falso respondebimus

[1]) In eodem versu cognomen et nomen gentile: *Nāsōnēs Vērgĭlĭōsque.* Martialis Ovidium poetam cognomine vocans nihil aliud fecit atque Ovidius ipse, qui semper nomine Naso se appellavit. Praeter ceteros locos legimus ablativum ex Pont. I 8, 1: *A tibi dilecto missam Nāsōnĕ salutem Accipe,* accusativum ibidem I 7, 4: *Haec me Nāsōnem scribere verba latet?,* dativum trist. IV 4, 86: *Si modo Nasōnī barbara terra sua est,* nominativum et genetivum in versibus illis trist. III 3, 73—76, quos Ovidius „in tumuli marmore“ insculpendos sibi destinavit:

Hic ego, qui iaceo, tenerorum lusor amorum,
Ingenio perii Nāsō poeta meo.
At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,
Dicere: Nasōnīs molliter ossa cubent.

[2]) Nomen „Dioscuri“ nusquam in Martialis epigrammatis occurrit, contra in deliciis habet poeta ethnicum *Lăcōnes.* Sic dioscuros vocat I 36, 2: *Qualia Ledaei fata Lăcōnĕs habent,* (cf. Hor. c. I 12, 25 *puerosque Ledae*) IX 3, 11: *piosque Lăcōnăs,* l. sp. 26, 5: *sidus ... Lăcōnum,* (cf. Hor. c. IV 8, 31 *clarum Tyndaridae sidus*). van Royen, De vocabulis patronymicis et ethnicis p. 57.

[3]) Neue I³ p. 592.

[4]) Wackernagel, Zum homer. Dual. = K. Z. XXIII (1877) p. 302 (W. Latinorum „Castores [et Polluces]“ cum Homerico „Αἴαντε“ comparat). Foerster, Archäolog. Jahrb. 1906 I, 1.

[5]) Serv. ad Verg. Georg. III 89: *Aut certe ideo Pollucem pro Castore posuit, quia ambo licenter et Polluces et Castores vocantur, nam et ludi et templum et stellae Castorum nominantur.* Becker, Topographie der Stadt Rom p. 235. Jordan, Topographie I, 2 p. 292. Wissowa, Religion u. Kultus der Römer p. 216.

Martialem poetam dactylicum non solum reformidasse accusativum pluralis Căstŏrēs et Căstŏrăs, sed etiam accusativum singularis Latinum Căstŏrĕm evitare voluisse[1]).

VIII. De vocabulis Graecis metri gratia pro Latinis usurpatis.

Denique ad finem totius huius de lexico Martialis partis nos convertentes demonstrabimus poetam hunc non raro vocabula linguae Graecae arripuisse, cum synonymae voces Latinae persaepe metro refragarentur.

§ 21. Revera ut in artibus, ita in usu vocabulorum quoque Graecia bello subacta victores superavit. Brevissimo enim tempore lingua Graeca sermonem et virorum doctorum et consuetudinem vulgarem invasit. Sed cum permulta propria linguae Graecae ita in linguam Latinam traducta esse haud ignoremus[2]), quis est qui miretur, quod poetae, apud quos imitatio Graecorum permultum valeret, usui vocum gentis finitimae praeter ceteros indulgebant. Porro minime mirum quod Martialis graecissans Statium aequalem tanto superavit, cum sermo cotidianus, a quo Martialis prope distabat, vocibus Graecanicis magis faveret et pluribus vocabulis inquinatus esset quam elatius dicendi genus epicum[3]). Neque tamen usus vocabulorum Graecorum tam late patuisset, nisi lingua Graeca metro dactylico, cui natura favebat, tantopere se commendavisset.

§ 22. Imitatio Catulli his exemplis probatur: Pro voce cŭbĭcŭlum scripsit Martialis ut Catullus verbum Graecum

---

[1]) Poetas persaepe commodis formae adductos terminationes Graecas declinationi Latinae anteposuisse in vulgus notum est, atque accusativus III. declinationis ipse frequentissime pro forma Latina collocabatur: cf. Mart. III 8, 1, III 11, 3 et 6, VI 93, 12 *Thāĭdă*; IV 1, 5 *Trītōnĭdă*; V 53, 1 *Cōlchĭdă*; VI 21, 1 *Ianthĭdă*; X 24, 11 *Nēstŏră*; XI 11, 5 *Mēntŏră*; II 64, 1 *rhētŏră*. — II 16, 5 *Machāŏnăs*; V 11, 1 *iăspĭdăs*. Neue I³ p. 443 sqq. Sniehotta, De vocum Graecarum apud poetas Latin. dactylicos ... usu, Vratisl. 1903. Bednara, Archiv XIV p. 354. Welzel, De Claudiani et Corippi sermone epico., diss. Vratisl. 1908, p. 83 sqq.

[2]) O. Weise, Die griech. Wörter im Latein, Leipzig 1882.

[3]) Stephani, p. 6. Schamberger, p. 237.

thălămus X 63, 7 (*thălămī*) et XII 96, 8 (*thălămīs*)[1]). *Moechus* et *moecha* ponuntur in dactyl. pro synonymis *cōncŭbīnus, cōncŭbīna, ădultĕra*. In dactyl. legimus *moecho* III 85, 1; *moechŭm* III 92, 1; *moechae* II 39, 1; II 47, 1; X 13, 7; XI 11, 6, in versibus lyricis *cōncŭbīno* III 82, 21; V 41, 2; VI 39, 13; VIII 44, 17 (semper in chol.); VI 22, 1 (in hend.); *cōncŭbīnos* XII 49, 4 (hend.). Nominativus *adultĕră* autem VI 7, 5 et IX 2, 3 in dactylis legitur[2]). Metro non exigente collocavit poeta ablativum *bărăthro* I 87, 4 (in fine pent.) et III 81, 1 (in fine hex.) pro Latino vŏrāgĭnĕ.

Ceterorum exemplorum haec memoria sunt digna: Praeter vocem *balnĕum* etiam pluralis forma *thērmae* a Martiale recepta est. Ex his duobus vocabulis poeta, prout metro postulabatur, aptius elegit. Collocavit igitur pluralem *bālnĕă* duodecies in dactylis ipsis et bis in parte dactylica hend. Sed pro forma *bālnĕīs* (cf. VII 34, 10 in hend., *bālnĕō* III 20, 16; IX 33, 1; IX 75, 5 in chol.) adhibuit formam *thērmīs* II 14, 13; II 78, 2; VII 32, 7; XII 19, 1; XII 70, 8; XII 82, 1. In dactylis, ut iam diximus, plerumque pluralis *bālnĕă* in usu est; in hend. et chol. singularis forma commodior erat: Cf. II 48, 1; III 25, 1; IX 75, 3 et 10[3]). — Pro adiectivis invĭdus et aemŭlus Martialis in dactylis usurpavit adiectivum Graecum *zēlŏtўpus* I 92, 13, quod in deliciis est aeneae latinitatis[4]). — Vox sapiēntĭa, cum genetivus a dactylis abhorrreret, cessit Graeco *sŏphĭa*: I 111, 1 et VII 74, 9[5]). Loco ablativi

---

[1]) Bednara, Archiv XIV p. 586.

[2]) Bednara, Archiv XIV p. 586. — Minus saepe adhibitum est synonymum *mĕrĕtrīx* (I 34, 5). Contra saepius pudenter, ut ita dicam, usurpata est vox *amica*, quam Romani inde a Naevii temporibus ut Graeci ἑταίρα exhibebant: cf. II 62, 3; IX 2, 1 (vide vers. 3); XIV 9, 1; XIV 156, 1 *ămīcae*; II 34, 5; IV 29, 5 *ămīcam*. — Baehrens, Comm. Cat. p. 544. Hey, Archiv IX p. 226.

[3]) Iuvenalis in satira VII 4, pro forma bālnĕŭm usurpavit deminutivum *bālnĕŏlum*. — Stephani, p. 21. Gaebel-Weise, Zur Latinisierung griech. Wörter, Archiv VIII p. 346. Ritschl, opusc. II p. 523. Neue I³ p. 824. Lindsay, p. 199.

[4]) Kaulen, Handbuch zur Vulgata, Mainz 1870, p. 131. Stephani, p. 23.

[5]) Cf. quae Friedlaender adnotavit ad I 111. 1. Cf. frg. 299 Afranii (= Ribbeck, Comicorum Romanorum fragmenta², Lips. 1873, p. 202): *Sophiam vocant me Grai, vos Sapientiam.* Cic. De off. I 43, 153: ... *illa*

triēnnĭō Martialis arcessivit ablativum vocis Graecae *trĭētērĭdĕ*, quae apud Martialem et Statium primos in versibus invenitur: cf. Mart. VI 38, 1; VII 96, 3; IX 84, 9; X 53, 3[1]). Sed *trĭētērĭcā* iam in Ovid. rem. 593. Vox tessera in epigrammatis Martialis significat aut aleam figura ex omnibus lateribus quadrata[2]) aut nummos quosdam, qui dabantur ad dapes adipiscendas[3]). Sed quantopere nominativus singularis *tēssĕrā* — neque alia forma in Martialis epigrammatis invenitur — dactylis favet, tantopere repugnat pluralis forma *tēssĕrāē*. Duorum remediorum, quae Martialis petivit, alterum supra attulimus[4]). Alterius remedii notitiam debemus Lessingio nostro, qui rectissime: *„Zu mehrerer Bestärkung“*, inquit, *„merke ich noch an, daß numisma auch bloß für den Stempel, für das Gepräge auf einem Geldstücke gebraucht wird, und daß das Wort tēssĕrā (Marke) nach keiner Abänderung in das elegieische Sylbenmaß geht, wodurch allein schon Martial gezwungen werden konnte, ein anderes Wort dafür zu brauchen.“* Posuit igitur Martialis VIII 78, 9—10 Graecum *nomīsmătă* pro molesta forma tēssĕrāē[5]).

---

sapientia, quam σοφίαν Graeci vocant ... Seneca, epist. 89, 7: *„Sapientia est, quam Graeci σοφίαν vocant. Hoc verbo Romani quoque utebantur, sicut philosophia nunc quoque utuntur. Quod et togatae tibi antiquae probabunt et inscriptus Dossenni monumento titulus.“* (Ribbeck, l. c. p. 221. — Cf. Fabul. Atellanae incerti nominis reliqu. frg. II: *Hospes, resiste et sophiam Dossenni lege.* Ribbeck, l. c. p. 274).

[1]) Stephani, p. 26. Schamberger, p. 245.

[2]) Marquardt, Privatleben II p. 824, affert Gelli locum I 20: *κύβος enim est figura ex omni latere quadrata, quales sunt, inquit M. Varro, tesserae.* Cf. Friedlaenderi adnotationem ad IV 66, 15 factam.

[3]) Friedlaender, adn. ad I 11, 1. Marquardt II p. 826.

[4]) cf. p. 7.

[5]) Lessing, Zerstreute Anmerkungen über das Epigramm und einige der vornehmsten Epigrammatisten, III (Martial.) 6 (Editio Instit. bibliograph. V p. 178).

Appendix.

I. De vi et collocatione comparativi in Catulli hendecasyllabis[1]).

Iam Woelfflinus de hac re aliquid adnotavit[2]). Tamen putaverim cautum esse debere, qui comparativum metri causa usurpatum esse ait, cum non raro veri comparativi sensus formae insit. Dubito igitur, num comparativus *venūstĭōrum* (3, 2) e sola hendecasyllabi ratione expediendus sit[3]), ac video etiam Friedrichum hac in re non aliter iudicasse, qui *„Diese Komparative“*, inquit, *„sind nicht ganz gleich dem Positiv, sie stehen auch nicht lediglich des Verses wegen“*[4]). Contra a Friedricho dissentiens concedo Woelfflino metro effectam esse formam comparativi in carmine 9, 10: *O quantum est hominum bĕātĭōrum,* cum comparativi sequentes: *Quid me lāetĭŭs est bĕātĭŭsve?* positivum flagitent. Alii loci ita explicandi sunt, ut comparativi idem valeant quod nimis vel paululum cum positivo. Cf. 5, 2 *rumoresque senum sĕvērĭōrum* et 12, 3 *tollis lintea nĕglĕgēntĭōrum.* Hos quoque comparativos recte interpretatus est Baehrensius[5]), atque interpretationem prioris loci firmare potuit Martialis illo VIII 3, 17: *Scribent ista graves nimiumque severi.*

In collocandis autem comparativis — praetermittimus iterum adiectiva, quorum terminationem antecedunt syllabae creticum efficientes (*ebrĭōsus* 27, 4, *īnquĭnātus* 33, 3, *aūspĭcātus* 45, 26)[6]) — poeta Veronensis multo constantiorem se praestitit quam poeta Hispanus. Posuit enim in medio hend. unum comparativum (23, 12), contra reliquos omnes novem comparativos in fine (3, 2; 5, 2; 9, 10; 10, 17 et 24; 23, 18; 27, 2; 33, 4; 45, 25).

---

[1]) cf. p. 12 sqq.

[2]) Hexam. u. silberne Prosa, Archiv XI p. 504 - 505.

[3]) Baehrens, Comm. Cat. p. 82.

[4]) Friedrich, Comm. Cat. p 90.

[5]) Comm. Cat. p. 95 et 128.

[6]) cf. adnot. in p. 11 huius opusculi adscriptam.

II. Quoniam de comparativi collocatione quaestionibus nostris edocti sumus, mihi operae pretium videtur esse uberius etiam **de** aliarum formarum **collocatione** agere secutus vestigia eorum, qui ante me has res tetigerunt[1].

1. De substantivis III. declin. et in -tio vel -sio et in -tas exeuntibus.

Recte Stephani adnotavit[2] Martiali et aequalibus et posterioribus correpta paulatim littera -o finali vocum III. declinationis in -tio et -sio cadentium, nullam iam fuisse difficultatem in his vocabulis adhibendis, quin etiam poetas nominativis *cenatĭŏ* (II 59, 1), *pēnsĭŏ* (III 30, 3) aliis persaepe quintum hexametri pedem effecisse, contra casus obliquos libenter posuisse in fine vers. Phalaecii. Idem recte quidem iudicat plurimas voces in suffixum -tas exeuntes omnibus poetis dactyl. metri causa repudiandas esse, sed non addit eo saepius Martialem illarum casus maxime in fine hend. collocavisse: cf. *rapācĭtātĭs* VI 72, 1; XII 53, 7, *prŏcācĭtatĕ* I 41, 19; II 41, 17, *hospĭtalĭtātĕ* IV 64, 28. *lībĕrālĭtatĕ* VIII 38, 2.

2. De vocativis I. et II. declinationis.

Tria genera sunt distingenda:

a) Vocativi, qui formam habent — ⏑ et ⏑ — ⏑

b) „ „ „ „ ⏑ ⏑ — ⏑ et — ⏑ ⏑ — ⏑

c) „ „ „ „ — ⏑ ⏑ et — — ⏑ ⏑

a) Formae — ⏑ et ⏑ — ⏑.

Vocativi huius generis praecipue collocantur

α) aut in altero pentametri hemistichio ante iambicam conclusionem[3]),

β) aut in V. pede hexametri ante finem trisyllabum.

[1]) Friedlaender, adnot. in p. 30 praef. edit. et adnot. ad I 16, 2. Wolff, De Clausulis Ciceronianis, Lips. 1901 (cap. VI, De verborum collocatione a Cicerone clausularum gratia mutata). Zingerle, Martials Ovidstudien. Innsbruck 1877. p. 21 (adn. 4).

[2]) p. 38—39.

[3]) cf. XI 104, 17—18: . . . dabat hoc Cornelia Graccho, Iulia Pompeio, Porcia, Brutĕ, tibi. Apparet vocativum ante iamb. conclus. metri causa loco dativi incommodi positum esse. Bednara, Arch. XIV p. 568.

Exstant tales vocativi

in libro	ante iamb. concl. pent.	in V. pede hex.	in princ. alt. hemist.	in princ. hex. et pent.	cet. loc.[1])
sp.	2	—	—	—	1
I.	5	8	6	2	4
II.	5	3	7	1	1
III.	7	9	3	3	8
IV.	5	6	6	2	2
V.	4	7	4	2	4
VI.	7	6	6	1	5
VII.	17	12	2	—	6
VIII.	6	6	3	2	4
IX.	14	6	3	—	4
X.	13	5	1	1	8
XI.	11	6	4	1	5
XII.	4	3	2	1	3
XIII.	—	—	—	—	—
XIV.	—	1	—	—	—
	100 = 80: — ⏑ + 20: ⏑ — ⏑	78	47	16	55

b) In vocativis ⏑ ⏑ — ⏑ et — ⏑ ⏑ — ⏑ idem valet quod in vocativis prioris generis. Huius modi vocativi leguntur:

in libro	ante iamb. concl. pent.		in V. pede hex.	in fine hex.: — ⏑ ⏑ — ⏑	cet. loc.
	⏑ ⏑ — ⏑	— ⏑ ⏑ — ⏑			
sp.	—	—	–	—	1
I.	1	13	2	—	—
II.	2	3	1	—	3
III.	5	4	2	—	3
IV.	2	6	1	1	1
V.	1	4	5	2	1
VI.	8	7	1	—	—
VII.	—	4	2	—	—
VIII.	1	5	3	—	—
IX.	3	2	2	—	2
X.	3	7	1	—	3
XI.	4	6	1	—	—
XII.	2	1	1	—	1
XIII.	—	—	2	—	—
XIV.	—	—	1	—	1
	32	62	25	3	16
	94				

[1]) = ante iamb. concl. I. hem., in fine hex., cet. loc.

c) Vocativi — ⏑ ⏑ et ⏑ — ⏑ ⏑ maxime ponuntur

α) aut in V. pede hex., qui secundum leges metricas semper dactylus esse debet,

β) aut in principio alterius hemistichii pent., cum altera pars pent. meris dactylis constare debeat[1]).

Collocavit igitur Martialis vocativos — ⏑ ⏑ et — — ⏑ ⏑

in libro	in V. pede hex.	in princ. alt. hemist.	in princ. hex. et pent. (— ⏑ ⏑)	cet. loc.
sp.	—	—	1	—
I.	9	8	3	—
II.	21	18	3	1
III.	12	9	1	—
IV.	6	10	1	2
V.	13	10	—	—
VI.	5	4	—	1
VII.	5	12	1	1
VIII.	3	4	1	2
IX.	7	4	2	1
X.	2	4	1	—
XI.	6	8	3	—
XII.	5	3	1	1
XIII.	—	3	—	—
XIV.	—	1	1	—
	94 = 80: — ⏑ ⏑ + 14: — — ⏑ ⏑	98	19	9

3. De collocatione infinitivorum

idem valere quod de vocativis consentaneum est.

a) Infinitivi praesentis:

α) Infinitivi — ⏑ (dēēssĕ, ēssĕ [= edere], ēssĕ, fĕrrĕ, flārĕ, flērĕ, īrĕ, nōllĕ, pōssĕ, scīrĕ, stārĕ, vēllĕ) inveniuntur

[1]) cf. I 67: Liber homo es nimium, dicis mihi, Cĕrȳlĕ, semper:
In te quis dicit, Cerȳlĕ, liber homo es?
II 58: Pexatus pulchre rides mea, Zōĭlĕ, trita:
Sunt haec trita quidem, Zoĭlĕ, sed mea sunt.

in libro	ante iamb. concl. pent.	in V. pede hex.	in princ. alt. hemist.	in princ. hex. et pent	cet. loc.
sp.	2	—	2	—	—
I.	10	8	—	2	1
II.	14	1	—	5	6
III.	9	2	1	4	1
IV.	5	5	—	2	1
V.	7	—	4	1	4
VI.	7	1	4	2	2
VII.	7	1	1	1	1
VIII.	3	3	2	3	1
IX.	13	3	1	2	2
X.	10	2	1	2	2
XI.	12	8	3	5	5
XII.	9	3	2	3	1
XIII.	11	—	2	1	—
XIV.	7	2	2	2	1
	126	39	25	35	28

β) Infinitivi generis ⏑ — ⏑ occurrunt

in libro	ante iamb. concl. pent.	in fine hex.	cet. loc.
sp.	1	—	—
I.	4	2	—
II.	7	1	—
III.	4	2	—
IV.	13	2	—
V.	4	4	—
VI.	5	2	1
VII.	3	—	1
VIII.	13	5	1
IX.	5	2	1
X.	9	2	—
XI.	12	6	2
XII.	5	—	3
XIII.	2	—	—
XIV.	12	1	—
	99	29	9

γ) Infinitivi qui formam habent ⏑ ⏑ — ⏑ reperiuntur

in libro	ante iamb. concl. pent.	in V. pede hex.	cet. loc.
sp.	—	—	—
I.	2	3	—
II.	1	1	—
III.	2	—	—
IV.	1	—	—
V.	—	—	—
VI.	2	2	—
VII.	2	—	—
VIII.	5	1	1
IX.	3	—	1
X.	—	3	—
XI.	2	2	—
XII.	—	2	—
XIII.	—	1	1
XIV.	2	—	—
	22	15	3

δ) Iam ad infinitivos in dactylum cadentes nos convertentes colligemus infinitivos — ⏑ ⏑. Horum infinitivorum leguntur

in libro	in V. pede hex.	in princ. alt. hemist.	in princ. hex.	in princ. pent.	cet. loc.
sp.	1	1	1	—	—
I.	9	8	2	4	—
II.	6	5	1	—	—
III.	10	11	1	2	—
IV.	2	8	1	2	1
V.	1	8	2	4	5
VI.	8	5	4	3	1
VII.	3	10	4	7	—
VIII.	5	10	1	1	1
IX.	5	13	3	3	1
X.	7	13	5	2	1
XI.	4	12	4	2	4
XII.	7	7	—	3	—
XIII.	2	11	2	1	—
XIV.	5	15	3	2	—
	75 + 4: ⏑ — ⏑ ⏑ + 2: ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑	137	34	36	14

ε) Infinitivi praesentis, quibus forma est — — ⏑ ⏑ leguntur

in libro	in V. pede hex.	cet. loc.
sp.	2	—
I.	6	—
II.	3	—
III.	4	—
IV.	4	1
V.	2	1
VI.	2	—
VII.	4	1
VIII.	2	2
IX.	5	2
X.	2	1
XI.	2	2
XII.	2	2
XIII.	—	—
XIV.	4	1
	44	13

b) Infinitivi perfecti temporis:

α) Infinitivi formae creticae ⏑ — ⏑ quater ante conclus. iamb. pentametri,

β) Infinitivi formae trochaicae — ⏑ quinquies ante iamb. conclus. pentametri et bis ceteris locis,

γ) Infinitivi ⏑ ⏑ — ⏑ et — ⏑ ⏑ — ⏑ inveniuntur

in libro	ante iamb. concl pent.	in V. pede hex.	cet. loc.
sp.	6	1	—
I.	5	—	—
II.	3	—	—
III.	—	—	—
IV.	4	—	—
V.	3	—	—
VI.	5	—	—
VII.	3	1	—
VIII.	1	—	—
IX.	2	—	1
X.	3	—	—
XI.	4	—	—
XII.	2	—	—
XIII.	—	—	—
XIV.	2	—	—
	43	2	1

4. De collocatione tertiae personae pluralis perfecti in -ērĕ exeuntis.

α) Formae — ⏑ ⏑ — ⏑ leguntur ante iamb. concl. quater, cet. locis bis,

β) Formae ⏑ ⏑ — ⏑ inveniuntur

in libro	ante iamb. concl. pent.	in V. pede hex.	cet. loc.
sp.	4	—	—
I.	2	1	1
II.	—	—	1
III.	—	—	—
IV.	3	1	—
V.	3	—	1
VI.	1	—	—
VII.	1	1	1
VIII.	—	—	—
IX.	2	1	—
X.	1	—	—
XI.	1	—	1
XII.	2	—	—
XIII.	—	—	—
XIV.	—	—	—
	20	4	5

Vt finem faciamus: Quoniam adhuc formas disiunximus ut ita dicam secundum rationes grammaticas, nunc secundum rationes prosodiacas distinguamus duo genera formationum. Exstant enim

I. formae, quae cadunt in pedem trochaicum,

II. formae, quae cadunt in pedem dactylicum.

Quarum, ut numeri tabellarum comprobant, priores longe saepissime ante iambicam conclusionem pentametri ponuntur — ibi enim leguntur si omnia exempla computamus, formae 504, contra non plus 435 ceteris omnibus versuum locis —, posteriores autem praeferuntur et in V. hexametri pede et, si dactylo nulla antecedit syllaba, in principio alterius pentametri hemistichii.

Vita.

Natus sum Paulus Georgius Schneider a. d. XVII. Kal. Maias anni 1884 Nissae in urbe Silesiae patre Alberto matre Maria e gente Dremmleriana, quos ambos adhuc salvos esse valde gaudeo. Addictus sum fidei catholicae. Primis litterarum rudimentis imbutus sum et in oppidulo, quod vocatur Pitschen, et Posnaniae, quam in urbem parentes a. 1894 transmigraverant. Ibidem puerum quartum decimum annum agentem gymnasium ad S. Mariam Magdalenam in discipulorum numerum recepit. Maturitatis testimonium gymnasii Lesnensis, quod nomen fert a Comenio, viro illo doctissimo, a. 1904 adeptus nostram almam matrem Vratislaviensem petii et civis academicus factus studiis philologicis operam dedi.

Docuerunt me imprimis vir. ill.: Baumgartner, Cichorius, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal †, Hoffmann, Jacoby, Koch, Norden, Siebs, Skutsch, Wendland, Zacher †.

Exercitationibus seminarii philologici, quas regebant Foerster, Skutsch, Wendland, per tria semestria interfui; ad exercitationes archaeologicas aditum mihi praebuit Foerster, ad exercitationes philosophicas Kühnemann.

Quibus omnibus viris me semper debitam gratiam habiturum esse promitto, maxime vero Skutschio, praeceptori meo, qui, ut in ceteris studiis, ita etiam in hac commentatione conscribenda consilio atque opera benigne me adiuvit.